DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ LIBRI DUO.

QUIBUS ACCEDIT

DISQUISITIO THEOLOGICA
DE PRÆCEPTO DIVINO COMMUNIONIS
ſub utraque ſpecie.

Autore JACOBO BOILEAU, *Theologo Pariſienſi,*
Eccleſiæ Metropolitanæ Senonenſis Decano.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud Viduam EDMUNDI MARTINI, & JOANNEM
BOUDOT, via Jacobea, ſub Sole aureo,
& Sacrificio Abelis.

M. DC. LXXXV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

S. GREGORIUS NAZIANZ.
Orat. III. pag. 103.

Ἡμῖν γὰρ τοῦ μὲν φαινομένου καὶ γραφομένου βραχὺς ὁ λόγος· ἡ πλείων δὲ πραγματεία περὶ τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον, καὶ μεθέλκειν τὸν θεατὴν ἐπὶ τὸ νοούμενον, ᾧ καὶ μᾶλλον τοὺς πολλοὺς ἐκπαιδεύομεν.

Nos enim externam quidem ſpeciem, ac velut picturam parum admodum curamus: in interno autem homine multo plus operæ ſtudiique ponimus; idque potiſſimum ſtudemus, ut ſpectatorem ad ea, quæ animo cernuntur, retrahamus; qua etiam ratione vulgus magis erudimus.

C

CHRISTIANO ET ERUDITO
LECTORI S.

VETUS *persuasio est jam usque à primis nascentis mundi ducta temporibus, eaque omnium gentium, ac maxime populi Christiani firmata consensu, versari debere inter homines supremi Numinis adorationem, quam Græci* προσκύνησιν *appellant, id est, summi rerum omnium Præfecti ac Conditoris agnitionem, & clientelaris obedientiæ ac summissionis professionem. Magnifica quidem res & salutaris, quæque proxima ad Deum immortalem naturæ mortali possit accedere. Cum igitur in religione Christiana constitutum sit, ipsum Deum humanam naturam induisse in similitudinem hominum factum,* θεάνθρωπον *summo cultu, hoc est, adora-*

tione prosequi, tum divino afflatu, cum naturæ & rationis instinctu, Christiani nunquam dubitarunt. Cum vero apud eosdem continuis temporibus semper receptum fuerit, Hominem-Deum singulari & mirabili agendi ratione corpus suum Discipulis manducandum porrexisse, & sanguinem bibendum propinasse: naturaliter conclusum est, mysterium corporis & sanguinis JESU CHRISTI *eodem cultu soli Deo debito esse exornandum. Verumtamen, cum (ut inquit divinus Apostolus) hæreses esse oporteat, multæque res sint in religione, quæ quibusdam semper videbuntur nequaquam satis explicatæ, tum perobscura & perdifficilis sit quæstio de præsentia corporis Christi in Eucharistia: mirum non est, rationis humanæ sponte luxuriantis, dum caret lumine fidei, tam varias fuisse de tanti mysterii cultu discrepantesque sententias. Hoc vero satis abundanter declarant laboriosæ Lucubrationes Catholicorum virorum, & Calviniano-*

1. Cor. XI. v. 19.

rum hominum refertæ sententiis : ex quibus faciliter dijudicatur, quam necesse sit in summo errore homines opiniosos, atque in maximarum rerum ignoratione versari. Hac de causa, proxime elapso sæculo, nobilissimus Theologus, Joannes Gropperus, Archidiaconus Coloniensis, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis designatus, causæ veritatis defensor fortissimus, Opusculum de Christo in Eucharistia adorando conscripsit, a R. P. Laurentio Surio Cartusiano de Germanicis Latine scriptum, & publici juris factum anno Christi MDLX. *Claudius Espencæus, Theologus Parisiensis, roseo Pileo, ni prava consilia obstitissent, exornandus* *, *post Colloquium Pißiacenum anno* MDLXI. *ad eandem materiam manum eruditam admovit, scripsitque libros* V. *de Adoratione Eucharistiæ, quos Gilbertus Genebrardus, alter Theologus Parisiensis, antiquo more Archiepiscopus Aquensis, quicum amicitia & studiorum necessitudine conjunctus erat, publici juris fecit anno*

* Thuanus Hist. lib. XVI. p. 489. Genebrardus Chronogr. l. IV. Sammarthanus Elog. l. I. Launoius Historiæ Collegii Navarræ p. III. l. III. c. 50.

MDLXXIII. *tertio ſcilicet poſt mortem Eſpencæi, quæ contigerat* III. *Nonas Octobres anni* MDLXXI. *Denique Claudius Sanctesius, Ebroïcenſis Epiſcopus e Theologica Facultate Pariſienſi aſſumptus, cum etiam Colloquio Piſsiaceno interfuiſſet, perlecto Opere Eſpencæi, nondum exhauſtum eſſe hanc materiam ſibi perſuaſit; adeoque * cœpto conſilio publicandi Operis ampliſsimi de rebus Euchariſtiæ controverſis, anno* MDLXXV. *librum* IX. *ad cauſam Adorationis Euchariſtiæ tuendam integrum deſtinavit. Plures alii Controverſiarum Scriptores generaliter eandem cauſam intactam non reliquerunt: inter quos honoris cauſa nomino Cardinales illuſtriſsimos, Bellarminum, & Perronium, cujus, ut arbitror, cineribus qui in Eccleſia noſtra Senonenſi requieſcunt, & ſpiritu ædium quas incolo, inſtigatus, ad hoc ſcribendi genus animum traduxi, in quibus olim tela fabricatus eſt, quibus Giganteos furores hæreſis Calvinianæ debellavit. At vero*

* Idem Launoius ejuſdem Hiſtor. p. III. l. III. cap. 83.

cum eminentissimi Theologi adorationem corporis Christi, & ejusdem praesentiam ac transsubstantiationem promiscue tractaverint, aut adorationem ex eadem praesentia consecutione naturali consistere comprobaverint: non alienum existimavi ab institutis meis, ad novum Tractatum animum appellere, quo, veluti arte historica, simplicem Adorationem, aliis quaestionibus de praesentia & transsubstantiatione emergentibus liberam, tuendam reciperem, &, postpositis ratiocinationibus arte mentis humanae efformandis, ostenderem per manus a majoribus nostris traditam veritatem, per ea quae sunt tempore immenso ab ortu rerum Christianarum observata, & in cultu sanctissimae Eucharistiae animadversa & notata. Ipso enim rectae rationis ac verae religionis instinctu perspicimus, nihil esse in Theologia, quod non longinquitas temporum excipiente memoria prodendisque veris antiquitatis Ecclesiasticae monumentis efficere atque assequi possit. Insuper etiam

eum fere omnes Theologi ad demonstrandum ritum & cultum externum sanctissimi Sacramenti laboraverint: in interno, scilicet mentis & cordis, in spiritu & veritate, substiti; relicto exteriori ad religionis apparationem & magnificentiam instituto, quem Doctissimi Protestantium hominum liberum & arbitrarium esse libenter fatentur. Ad id vero Lucubrationis genus præsertim incitavit, quod ex cærimoniis & ritibus externis circa Sacramentum observatis, Calvinianæ partis Defensores in Gallia nostra, cum Anglicanæ communionis Fratribus scindendæ unitatis causam non habeant: uti potissimum intelligimus ex Voto pro pace Christiana, *nuper impresso Oxonii in Theatro Sheldoniano anno* MDCLXXVIII. *Andreæ* Sall, *sacræ Theologiæ Doctoris, & olim Professoris, nunc serenissimo Regi Magnæ Britanniæ a domesticis, cap.* XXIV. *quo postquam genuflexiones ac demissiones Principum, Præsulum, ac plebis ad recipiendam Eu-*

charistiam in omnibus Ecclesiis Imperii Anglicani exposuit, sic fatur numero VI. Tantam magnorum Præsulum demissionem, tam eximiam Principum & populi reverentiam in sacra Eucharistia administranda & recipienda nusquam ego vidi apud Romanenses, qui tamen se unos Sacramenti istius cultores jactant. *Ego vero ejusmodi oratione persuasus, cum animadverterem exterioris cultus cærimonias nihil officere resarciendæ paci inter Protestantes & Catholicos; interni cultus, seu syncerae & intimæ adorationis Eucharistiæ in hoc Libro defensor extiti: in quo non solum argumentis ex monumentis antiquitatis Ecclesiasticæ selectis, ineunte & adulta ætate Ecclesiæ, perfectam fuisse demonstravi; verum etiam nova objecta Calviniani Athletæ Joannis Dallæi, Charentonii templi Ministri, (quem Matthæus Scrivenerus*, partium Protestantium Scriptor doctissimus, cum alite comparat Indica,*

* Apologia pro SS. Ecclesiæ Pa-

tribus, lib. II. Responf. particularis cap. IV. p. 185. Londini 1672.

quæ non alio pabulo vescitur, quam stercore quod à cæteris avibus excernitur) majoribus nostris inaudita & ignota dilui. Præterea cum doctissimorum Virorum, qui de hac causa amplissima volumina scripserunt, laborem frustrari noluerim; aut eorum sata corradere, hominis otio & literis temperanter utentis esse non reputaverim: necessariam voluminis tenuitatem accessione Disquisitionis de Præcepto divino Communionis sub utraque specie cumulandam existimavi, quam scripseram ad confutationem opinionis Ministri Calviniani, in ea nominati, instigatione; cui abnuere non poteram, unici & amicissimi fratris mei, viri e Gallis Academici, apud Homines literatos; ut mihi persuadeo, cognitissimi, tum justis laudibus egregii Principis Ludovici Magni, cum salibus satyricis, quibus nostræ ætatis Chærilos condivit, & negotiosas otiosorum hominum mentes ad fructuosum laborem in vinea Domini, & syncerum Dei cultum accendit. Hoc igitur

munus amiciore manu excipe, LECTOR CARISSIME, *quo tibi tantulum annuæ villicationis literariæ ratiocinium reddo. Neque enim majus aut amplius hac vice positum est in potestate hominis curis ac negotiis Capituli distenti, & perfectis, Deus scit! severioris residentiæ legibus in Officiis Ecclesiæ diurnis & nocturnis constricti. Ergo vale, & pro conversione errantium fratrum Protestantium comprecare. Agendici Senonum ipsis Kalend. Januarii anni* MDCLXXXV.

S. Augustinus Enarrat. in Psalm. XCVIII.

Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.

INDEX CAPITUM.

LIBER I.

CAPUT I. EXPLICATA *significatione* adorationis, *quæstio seu status controversiæ inter Catholicos & Protestantes de adoratione Eucharistiæ subjicitur, & instituti operis ratio redditur.* pag. 1.

CAP. II. *Veteres primi sæculi Christianos adorasse Eucharistiam, assumpto ex genuinis S. Ignatii Epistolis testimonio, ostenditur.* 5

CAP. III. *Argumentum adorationis Eucharistiæ assumptum ex Origene, qui obiit anno Christi* CCLIV. *& ex Eusebio Cæsariensi, demortuo anno* CCCXL. 9

CAP. IV. *Comprobatur adoratio Eucharistiæ argumento ex S. Cyrillo Hierosolymitano assumpto, qui obiit die* XVIII. *Martii, anno Christi* CCCLXXXVI. 15

CAP. V. *Argumentum ex S. Gregorio Nazianzeno assumptum, demortuo* IX. *Maii anno Christi* CCCLXXXIX. 27

CAP. VI. *Argumentum assumptum ex S. Ambrosio, Archiepiscopo Mediolanensi, demortuo* IV. *April. an. Christi* CCCXCVII. 31

CAP. VII. *Probatur sanctissimi Sacramenti adoratio, ex S. Joanne Chrysostomo, defun-*

cto XIV. *Nov. anno Christi* CCCCVII. 34

CAP. VIII. *Argumentum ex Homilia Joannis Episcopi Hierosolymitani assumptum, demortui anno Christi* CCCCXVI. 42

CAP. IX. *S. Nilus, S. Chrysostomi discipulus, Asceta deserti Sinaï, qui vixit ad annum Christi circiter* CCCCLI. *adorationem Eucharistiæ comprobat.* 45

CAP. X. *Argumentum invictissimum adorationis Eucharistiæ ex S. Augustino, Episcopo Hipponensi, assumptum, defuncto anno Christi* CCCCXXX. XXVIII. *Augusti.* 49

CAP. XI. *Argumentum assumptum ex Epistola S. Cyrilli, Archiepiscopi Alexandrini, & Synodi Ægypti, ad hæreticum Nestorium, Archiepiscopum Constantinopolitanum.* 57

CAP. XII. *Isidorus Pelusiota defunctus* IV. *Februarii anno* CCCCXL. *confirmat adorationem Eucharistiæ.* 60

CAP. XIII. *Eucharistiæ adorationem comprobant, Theodoretus Episcopus Cyri anno* CCCCLXX. *S. Dionysius, vulgo dictus Areopagita, & S. Cæsarius, defunctus anno* DXLII. XXVII. *Augusti.* 63

CAP. XIV. *Argumentum assumptum ex Liturgia Joannis II. Archiepiscopi Constantinopolitani, defuncti anno Christi* DXCVI. *& ex S. Joanne Climaco, qui obiit anno*

DCV. *die Martii* XXX. 72

CAP. XV. *Argumentum ex Operibus Leontii Constantinopolitani assumptum, qui floruit ab anno Christi* DXCI. *ad* DCVIII. *ex Chronico Alexandrino, Anastasio Sinaita, S. Germano Constantinopolitano, & S. Ioanne Damasceno.* 77

CAP. XVI. *Argumentum ex Concilio Nicæno II. assumptum, celebrato anno* DCCLXXXVII. *B. Alcuino, & ex Concilio Cabilonensi, anno* DCCCXCIV. 85

CAP. XVII. *Adorationem Eucharistiæ per manus a majoribus sibi traditam defendunt B. Lucas Asceta, decimo sæculo; Algerus, & Petrus Venerabilis, qui duodecimo floruerunt.* 89

LIBER II.

CAPUT I. *Diluuntur objectiones a Ioanne Dallæo Calvinisticæ partis Ministro propositæ ex sacra Scriptura adversus adorationem Eucharistiæ.* 95

CAP. II. *Diluitur objectio Dallæi, assumpta ex S. Iustino Martyre.* 104

CAP. III. *Diluitur objectio assumpta ex traditione trium priorum Ecclesiæ sæculorum.* 107

CAP. IV. *Explicatur sententia S. Basilii*

Magni de ostensione Eucharistiæ, & S. Germani Constantinopolitani. Objectio assumpta ex novitate ostensionis Hostiæ inter solennia Missarum, diluitur. 109

CAP. V. *Argutiolæ quædam Dallæi ex Aula majori Palatii Parisiensis, & Historia Zelacristi Regis Æthiopum fratris, petitæ diluuntur: & alia argumenta adversus adorationem Eucharistiæ assumpta ex miraculis in gratiam adorationis, ut putat, confictis, monumentis antiquitatis Ecclesiasticæ certis & indubitatis solvuntur.* 118

CAP. VI. *Varia solvuntur argumenta Dallæi adversus adorationem Eucharistiæ, petita ex variis usibus, & piis exercitationibus Jesuitarum.* 137

CAP. VII. *Diluitur objectio Dallæi contra adorationem assumpta, ex eo quod veteres Christiani a sacro Eucharistiæ, non communicantes arcebant; hodie vero plerique non communicantes, solenniis Missarum intersint.* 141

CAP. VIII. *Diluuntur argumenta assumpta ex pompis adhibitis ad Sacramenti venerationem: cereis accensis, suffitu, floribus quibus altaria exornantur, & iconibus Eucharistiæ, a Iesuitis apud Indos fabricatis.* 147

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Explicata ſignificatione adorationis, *quæſtio ſeu ſtatus controverſiæ inter Catholicos & Proteſtantes de adoratione Euchariſtiæ ſubjicitur, & inſtituti operis ratio redditur.*

CUM Eccleſia Catholica fideles omnes ſanctiſſimæ Euchariſtiæ adorationem doceat, eiſdem ſupremum cultum ſoli Deo debitum præci-

pere non dubitandum eſt, nulli creaturæ ſine crimine deferendum. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Sed homines Proteſtantes non ſolum opus, verum etiam nobiſcum fateri neceſſe eſt, divinum hunc cultum & adorationem, quam lege, a qua nullus eximitur, omnibus Chriſtianis impoſitam hoc opere tuendam recipimus, non ſpectare ſubſtantiam panis aut vini, neque ſpecies aut accidentia quæ in oculos incurrunt, ſed ipſum Chriſtum Dominum: cujus animam, corpus & divinitatem in ſanctiſſimo Sacramento revera præſentem exiſtere credimus. Verumenimvero cum Proteſtantes Chriſtum Dominum verum eſſe Deum non diffiteantur, Deumque ſolitarium cultu ſummo & adoratione dignum eſſe libenter recognoſcant: ſatis eſſe videretur aſſumere argumenta, ex quibus in Euchariſtia exiſtere intelligitur, ad comprobandam adorationem, & eoſdem erroris intolerabilis & abſurdi crimine convincendos. Sed ejuſmodi conſecutio adorationis Chriſti ex præſentia neceſſario & naturaliter aſſumpta, quæ ſenſus communis aciem omnium hominum faciliter perſtringit, Lutheranorum & Calvinianorum cerebrum penetrare non-

Deuter. c. 6. v. 13. Matth. 4. v. 10.

dum potuit. Notum enim eſt apud omnes & pervulgatum, Lutheranos ſtatuere Domini JESU corpus in Euchariſtiæ pane realiter eſſe, poſtpoſita adoratione: ipſos vero Calviniani dogmatis defenſores ejuſmodi perſuaſionem, dummodo cultus & adorationis expers conſiſtat, nullo fœtore veneni inquinatam exiſtimare, nec juſtam reputare cauſam ſcindendæ unitatis cum Lutheranis, uti docet Joannes Dallæus Apologiæ pro Eccleſiis reformatis cap. VII.

Cum igitur ad hanc materiam tractandam animum appulerim, conſilium meum non fuit præſentiam realem conſtituere ad comprobandam adorationem, quamvis ex ea ratiocinatione ad normam accurate directa manifeſte conſectanea videatur: ſed ex antiquis Eccleſiæ veteris monumentis diligenter hunc cultum conquirere, & ab memoria hominum propter vetuſtatem remotum, ex ſacrarum Literarum traditione & hiſtoria repetere. Sed antequam in hanc cauſam ingrediar, ſubjicere neceſſe eſt, adorationem, non tam exteriorem, quam interiorem animi ac cordis humani actionem eſſe. Quicquid enim in adoratione ac cultu extrinſecum eſt & rituale, arbitrarium fuiſſe videtur, & ad libitum hominum

prudentium, variis sæculis varios mores postulantibus, vicissitudini ac mutationi obnoxium.

Hanc adorationem ritualem & extrinsecus perfectam jam non anquirimus, sed interiorem ac spiritualem, ad quam integrum quæstionis ac controversiæ nostræ caput devolvitur, quæ in cultu ac veneratione summi rerum omnium Domini ac Creatoris consistit, & in obsequio sincero, atque animi propensione ac conversione ad perficienda mandata ejus sicut in cælo & in terra. Igitur ad stabiliendam & tuendam hanc veritatem, seu adorationem Eucharistiæ, hoc opusculum bipartito dividam. Primo libro argumenta complectar, ex quibus adorationem colligere ac concludere necesse est: secundo vero objectiones hominum Protestantium, quibus argumenta nostra conantur frangere, diluam. Et ne mea agendi ratio Calvinistis suspecta aut nimis infensa videatur, nullum argumentum proponam quod ad præsentiam corporis Christi directe statuendam conducibile sit, nullamque objectionem diluam quæ ad eandem diruendam primo subsultu inserviat, & quasi secundo in adorationem resiliat: adeoque cum plerique Orthodoxi

naturali consecutione ex præsentia corporis Christi, ejus adorationem cõnfestim esse peragendam concludant; econtra ex adorationis dogmate firmissime constituto præsentiam realem necessaria conclusione colligendam relinquam.

CAPUT II.

Veteres primi sæculi Christianos adorasse Eucharistiam, assumpto ex genuinis S. Ignatii Epistolis testimonio, ostenditur.

MAGNA paucitas Scriptorum Ecclesiasticorum, qui hoc sæculo scholam Christi suis lucubrationibus illustrarunt, testimonia veritatis multitudine innumerabilia proferre vetat; verumtamen non desunt omni exceptione majora. Enimvero nemini homini sincere erudito dubium subolere potest, quin veræ ac genuinæ S. Ignatii, Episcopi Antiochensis, Martyris, Epistolæ ad hanc ætatem pervenerint, cura & industria Isaaci Vossii diversæ partis Scriptoris doctissimi, cujus obstetricante manu ex Bibliotheca Magni Ducis Florentiæ eductæ sunt anno Christi MDCXLVI.

Cum præsertim earum jus naturalitium intelligere facile sit ex argumentis a doctissimo Francisco Turriano Jesuita primulum exclusis ovo, & a Protestantibus Scriptoribus, eodem scilicet Isaaco Vossio, & Joanne *Pearson* Presbytero Anglicano, efformatis in Vindiciis Epistolarum S. Ignatii, typis impressis concinne & eleganter Cantabrigiæ anno MDCLXII.

I. At vero ex Epistola I. ad Smyrnæos hæc verba perspecta habemus, quæ singulari testificatione adorationem Eucharistiæ significant, continuo sermone post ea, quæ verum Christi corpus in hoc Sacramento præsens esse, & revera consistere attestantur, apud Theodoretum, Cyri Episcopum, relata, & eidem Ignatio nemine reluctante adscripta. Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ Πατὴρ ἤγειρεν. οἱ οὖν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τοῦ Θεοῦ, συζητοῦντες ἀποθνήσκουσι· συνέφερεν δὲ αὐτοῖς ἀγαπᾶν, ἵνα καὶ ἀναστῶσιν. *Ab Eucharistia & oratione recedunt propter non confiteri Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri* Jesu Christi *pro peccatis nostris passam, quam benignitate Pater resuscitavit.*

Dial. Impatibilis, p. 154.

Contradicentes ergo huic dono Dei, perscrutantes moriuntur: conferens autem esset ipsis diligere, ut resurgant.

II. Ait S. Ignatius eis conferens esse, hoc est, conducibile, opportunum & accommodatum, hoc donum diligere. συνέφερεν δὲ αὐτοῖς ἀγαπᾶν. At vero ipsemet nos docet, nihil nos diligere debere prætet solum Deum, Epistola ad Ephesios: ὅτι κατ' ἄλλον βίον οὐδὲν ἀγαπᾶτε, εἰ μὴ μόνον τὸν Θεόν. *Quoniam secundum aliam vitam nihil diligitis, nisi solum Deum.* Adeoque cum neutiquam dubitaverit, Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri JESU CHRISTI Dei, adorandam eam esse sibi persuaserit necesse est.

III. Ex subjectis verbis S. Ignatii consequentiam naturaliter illatam invictissime confirmat S. Clemens Alexandrinus libro VII. Stromatων, pag. 504. quo de cultu & adoratione Deo debita, ab amore & caritate omni discrimine remoto, mentionem facit: θεραπεία τοίνυν τοῦ Θεοῦ, ἡ συνεχὴς ἐπιμέλεια τῆς ψυχῆς τοῦ γνωστικοῦ, ἡ περὶ τὸ θεῖον αὐτοῦ καὶ τὴν ἀδιάλειπτον ἀγάπην ἀσχολία. *Dei ergo cultus est continua animæ cura ei qui est præditus cognitione, & ejus perpetua cum Deo occupatio per caritatem quæ numquam*

intermittitur. Quemadmodum S. Augustinus Epistola XXIX. *Pietas cultus Dei est, & unde colitur, nisi amando?* Et Enchiridii cap. II. & III. *Desideras breviter aperiri, atque in sermonem brevem colligi quonam modo colendus sit Deus. Respondeo, fide, spe & caritate colendum.* Et in Psalmum LXXVII. *Hoc colitur quod diligitur.* Libro de Trinitate cap. XIV. *Quis est cultus Dei, nisi amor ejus?* Libro x. de Civitate Dei cap. 4. *Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.* Sermone II. inter Homil. L. *Hoc enim colitur quod diligitur. Vnde quia Deus rebus omnibus major est, plus omnibus diligendus est ut colatur.* Itaque cum S. Ignatius dicat utile seu conferens esse Smyrnæis donum Eucharistiæ diligere & amare: non solum opus, verum etiam necesse est, cultum seu adorationem ejus utilem, conferentem, hoc est, opportunam, accommodatam, adeoque piam & religiosam existimasse, & ab adoratione ac cultu divino non differre, aut dissimilitudinem habere.

CAPUT III.

Argumentum adorationis Eucharistiæ assumptum ex Origene, qui obiit anno Christi CCLIV. *& ex Eusebio Cæsariensi, demortuo anno* CCCXL.

I. REPUGNANTIA Patrum secundi sæculi, aut ineuntis tertii, adversus adorationem Eucharistiæ, non mihi causa erit, cur hic testimonia silentio prætermittam, S. Justini Martyris, Theophili Antiocheni, Tatiani, S. Irenæi, Clementis Alexandrini, Minutii Felicis, Tertulliani, & S. Cypriani, quos ab hominibus Protestantibus valde propitios, aut saltem non contradicentes summo cultui seu adorationi sanctissimi Sacramenti intellectum iri non dubitem, ex responsionibus ad objecta Joannis Dallæi, Calvinistarum doctissimi, quæ hujus opusculi libro II. enucleabimus. Enimvero cum hac priori parte animo decreverim argumenta invictissima concludere, nulli oblocutioni aut infirmationi obnoxia; alienum esse ab institutis meis existimavi, ullum in medium addu-

cere Patrem, aut Scriptorem Ecclesiasticum, quin veritati quam tuendam in hoc opere recepi, conceptis verbis propitium, aut saltem adeo accommodatum, ut nullum ex eo patrocinium adversariorum sententiæ quæri aut comparari possit.

II. Primus igitur locus exscribitur ex Homilia XIII. & ultima Origenis in caput XXV. Exodi, quam Erasmus, Sixtus Senensis, Possevinus, Rivetus, Scultetus, atque omnes Critici Protestantium & Catholicarum partium doctissimi, Origeni non abjudicant, nec in suspicione ponunt. Porro sic fatur pag. 3. editionis Basileensis Frobenii anno MDLVII. *Volo vos admonere religionis vestræ exemplis: nostis qui divinis mysteriis interesse consuestis, quo modo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, & merito utimini; quomodo putatis minoris esse piaculi, verbum Dei neglexisse, quam corpus ejus?*

III. Non dubito quin ex autographo Græco, si nobis suppeteret, legendum esset

adoratione pro *veneratione:* nec Protestantes ejusmodi conjecturæ abnuere possunt; quippe cum cultus soli Deo debitus, ipsa sit adoratio; & veneratio corpori Divinitati intime conjuncto, non nisi vocabulo *adorationis* possit significari. Præterea cum ex cautela adhiberi a Sacerdotibus solita, ne particulæ Eucharistiæ inter sacrorum mysteriorum solennia decidant, aut conculcentur, argumentum novitatis cultus & adorationis objectare passim non pertimescant Scriptores Protestantes: ex antiquitate ejusdem cautelæ & curæ, quam abundanter testificatur Origenes ætate sua adhibitam fuisse, colligere, ac jure merito vindicare possumus argumentum antiquitatis cultus & adorationis Eucharistiæ, eo tempore a fidelibus usu communi & consuetudine receptæ.

IV. Hanc veritatem non leviter confirmat comparatio Eucharistiæ hic instituta cum verbo divino: quippe cum infinitis locis sancta & adoranda Scripturarum verba a Conciliis nuncupentur, & ab ipso Augustino Homilia XXVI. ex L.

V. Secundus locus Origenis assumitur ex Homilia v. in diversos Novi Testamenti locos, quam Erasmus suspectam non habet;

cum etiam ex iis Homiliis Viri docti, præter secundam, octavam, nonam, & decimam, nullam in falsi suspicione ponant. Porro hic locus sic se habet Tom. II. pag. 518. ejusdem editionis. *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini; tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.* Quis vero dubitet Centurionem hac occasione data Christum adorasse? Cum igitur accepta Eucharistia idem prospere ac feliciter nobis accidat, Christusque revera sub tectum nostrum intret; dubitandi locus non relinquitur, quin ex mente Origenis, Centurionem imitatione consequi teneamur: adeoque Christum Dominum in sanctissimo Sacramento adorationis summæ cultu prosequi debeamus. Verumenimvero cum ex libro I. Origenis contra Celsum pag. 10. intelligamus, ipsum existimasse nihil præter Deum esse adoratione dignum: jure merito concludimus, Deum verum in Eucharistia percipi non dubitasse.

At vero mala fide objectaret nobis Calvinianæ partis defensor, aut Rodolphi Hospiniani sectator lib. v. Hist. Sacram. cap. 8. eodem modo secundum Origenem, Dominum intrare sub tectum nostrum per Sacramentum Eucharistiæ, quo per Antistites Deo acceptabiles; probaretque perperam his loci citati anterioribus verbis: *Intrat & nunc Dominus sub tectum credentium duplici figura vel more. Nunc enim, quando sancti & Deo acceptabiles Ecclesiarum Antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur, & tu sic existimes tanquam Dominum suscipiens. Et aliud, quando sanctum cibum, &c.* Quippe cum conceptis verbis dicat, *duplici figura vel more* ejusmodi Domini ingressum sub tectum nostrum contingere, hoc est, diverso modo; uno scilicet per Antistites *quos sic existimes, tanquam Dominum suscipiens.* & alio, *quando sanctum cibum accipis:* non dicit, & tu sic existimes tamquam corpus Domini suscipiens; sed, *manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.*

Interim vero ad rationes Origenis adjungere non pertimescam Eusebium Cæsariensem, qui obiit anno Christi CCCXL.

cum etiam ex iis Homiliis Viri docti, præter ſecundam, octavam, nonam, & decimam, nullam in falſi ſuſpicione ponant. Porro hic locus ſic ſe habet Tom. II. pag. 518. ejuſdem editionis. *Quando ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini; tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.* Quis vero dubitet Centurionem hac occaſione data Chriſtum adoraſſe? Cum igitur accepta Euchariſtia idem proſpere ac feliciter nobis accidat, Chriſtuſque revera ſub tectum noſtrum intret; dubitandi locus non relinquitur, quin ex mente Origenis, Centurionem imitatione conſequi teneamur: adeoque Chriſtum Dominum in ſanctiſſimo Sacramento adorationis ſummæ cultu proſequi debeamus. Verumenimvero cum ex libro I. Origenis contra Celſum pag. 10. intelligamus, ipſum exiſtimaſſe nihil præter Deum eſſe adoratione dignum: jure merito concludimus, Deum verum in Euchariſtia percipi non dubitaſſe.

At vero mala fide objectaret nobis Calvinianæ partis defensor, aut Rodolphi Hospiniani sectator lib. v. Hist. Sacram. cap. 8. eodem modo secundum Origenem, Dominum intrare sub tectum nostrum per Sacramentum Eucharistiæ, quo per Antistites Deo acceptabiles; probaretque perperam his loci citati anterioribus verbis: *Intrat & nunc Dominus sub tectum credentium duplici figura vel more. Nunc enim, quando sancti & Deo acceptabiles Ecclesiarum Antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur, & tu sic existimes tanquam Dominum suscipiens. Et aliud, quando sanctum cibum, &c.* Quippe cum conceptis verbis dicat, *duplici figura vel more* ejusmodi Domini ingressum sub tectum nostrum contingere, hoc est, diverso modo; uno scilicet per Antistites *quos sic existimes, tanquam Dominum suscipiens.* & alio, *quando sanctum cibum accipis:* non dicit, & tu sic existimes tamquam corpus Domini suscipiens; sed, *manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.*

Interim vero ad rationes Origenis adjungere non pertimescam Eusebium Cæsariensem, qui obiit anno Christi CCCXL.

& libro IV. Vitæ Imperatoris Conſtantini Magni, non abnuente Iſaaco Caſaubono Exercitatione XVI. contra Baronium cap. 57. comitia Chriſtianorum ad percipiendam Euchariſtiam, ſeu ſynaxes, κατ' ἐξοχὴν *adorationem* vocat, ἐπὶ τὴν λατρείαν τοῦ Θεοῦ παρεῖναι, *ad adorationem Dei convenire*, pro *ad ſynaxim*. Et libro I. de Demonſtratione Evangelica, cap. 16. dicitur ἄναιμος καὶ καθαρὰ λατρεία, *incruenta & pura adoratio*. Quis vero ſibi perſuadeat, ejuſmodi comitiis ad Euchariſtiæ celebrationem apud veteres Chriſtianos religioſe inſtitutis, hoc nomen λατρείας, ſeu *adorationis & divini cultus* per eminentiam datum atque impoſitum fuiſſe, niſi propter adorationem in his vero Chriſti corpori reddi & rependi adſuetam? Hanc enim explicationem ex continua hujus operis ſerie, ac præſertim ex S. Chryſoſtomi, & S. Cyrilli Alexandrini locis infra diſcutiendis clarius faciliuſque intelligemus, qui eodem modo ac ratione dicendi uſi ſunt.

CAPUT IV.

Comprobatur adoratio Eucharistiæ argumento ex S. Cyrillo Hierosolymitano assumpto, qui obiit die XVIII. *Martii, anno Christi* CCCLXXXVI.

SINGULARI divinæ providentiæ consilio S. Cyrillus præ cæteris Patribus, Hierosolymis Eucharistiæ adorationem clare ac dilucide explicuit: ubi primulum institutam fuisse a Christo Domino, ex Evangelicis Scriptoribus intelligimus. Ibi enim creatus successor S. Maximi, S. Athanasii defensoris fortissimi, nondum ætate provecta, ut observat S. Hieronymus, catecheses ad Neophytos composuit; ut non solum Eucharistiæ mysterium explicaret, verumetiam eos ejusdem percipiendæ modum atque integram rationem doceret. Quis vero ex occasione ejusmodi feliciter data, paululum antiquitati adsuetus, non perspiciat faciliter, virum erudiendis Neophytis præfectum, omnibus sermonis ambagibus relictis, ac postpositis involucris, esse locutum. Itaque sic fatur Homilia v.

mystagogica pagg. 244. & 245. editionis Græco-Latinæ Parif. Claudii Morelli, anno MDCXXXI. cum versione Latina Joannis Grodecii, Decani Golgomiensis, viri doctissimi, Cardinalis Stanislai Hosii Episcopi Warmiensis contubernalis. Προσιὼν οὖν μὴ τεταμένοις τοῖς τῶν χειρῶν καρποῖς προσέρχου, μηδὲ διῃρημένοις τοῖς δακτύλοις· ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι. καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ἐπιλέγων τό, Ἀμήν. μετ' ἀσφαλείας οὖν ἁγιάσας τοὺς ὀφθαλμοὺς τῇ ἐπαφῇ τοῦ ἁγίου σώματος, μεταλάμβανε, προσέχων μὴ παραπολέσῃς τι ἐκ τούτου αὐτοῦ· ὅπερ γὰρ ἐὰν ἀπολέσῃς, τούτῳ ὡς ἀπὸ οἰκείου δηλονότι ἐζημιώθης μέλους. εἰπὲ γάρ μοι, εἴ τίς σοι ἔδωκε ψήγματα χρυσίου, οὐκ ἂν μετὰ πάσης ἀσφαλείας ἐκράτεις, φυλαττόμενος μή τι αὐτῶν παραπολέσῃς καὶ ζημίαν ὑποστῇς; οὐ πολλῷ οὖν μᾶλλον ἀσφαλέστερον τοῦ χρυσίου καὶ λίθων τιμίων τιμιώτερον διασκοπήσεις ὑπὲρ τοῦ μὴ ψίχαν σοι ἐκπεσεῖν; εἶτα μετὰ τὸ κοινωνῆσαί σε τοῦ σώματος Χριστοῦ, προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος λέγων τό, Ἀμήν. ἁγιάζου καὶ τοῦ αἵματος μεταλαμβάνων Χριστοῦ. *Accedens autem ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque*

neque cum disjunctis digitis; sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est: & concava manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis tam sancti corporis contactu, communica. Cave autem ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas, hoc tamquam ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne cum magna diligentia illa teneres, cavens ne quid ex illis periret, damnumque sustineres? Et non multo magis & diligentius de hoc quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, providebis? Tum vero post communionem corporis Christi accede ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus in modum ADORATIONIS ET VENERATIONIS, *dicens, Amen. Sanctificeris eo sanguine quem assumis.*

I. Ex his perſpectum habemus integre ritum antiquum communionis corporis & ſanguinis Chriſti; variaſque viciſſitudines, quibus extrinſecus obnoxius fuit, intelligimus: ex quibus duo ſeſe potiſſimum offerunt, quæ nobis maxime Euchariſtiæ adorationem indigitant. 1. Cura ſeu cautela particularum Euchariſtiæ manu ſuſceptæ: 2. Forma externa adorationis, quæ veluti

τεκμήριον erat interni cultus Deo exhibiti. Ἀλλὰ κύπτων ἐν τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος. *Sed pronus in modum adorationis & venerationis.* Supervacaneum esset dicere hanc vocem *venerationis* reddi debere voci Græcæ προσκυνήσεως. Constat enim S. Cyrillum *adorationem* & *venerationem* ibi non promiscue accepisse; sed accurate *adorationem veneratione* explicuisse & amplificasse, ἐν τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος. Insuper ad Eucharistiam solummodo ejusmodi veneratio & adoratio referri possunt, sive Christum velo specierum obducto occultum. Nam ex contextu S. Cyrilli intelligere facile est, hanc adorationem & venerationem ad id esse deputatam ac directam, ad quod accedendi normam præscribit eo loci. Cum ergo ad calicem sanguinis sacri conceptis verbis accedendum esse præscribat, προσέρχου καὶ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας. *Accede ad calicem, non extendens manus:* hic locus recte assumitur ad concludendum, S. Cyrillum ibi adorationem calicis, seu potius sanguinis in calice contenti præscripsisse. Ad hæc præterea, eam adorationem spectare rem ad quam tantam curationem habendam esse docet Cyrillus, ne

particulæ decidant & conculcentur, quas cum ramentis auri comparat, ψήγματα χρυσίου· quæ quidem ad solam Eucharistiam pertinent.

III. Edmundus Albertinus, superstitionis Calvinianæ in templo Charentonio Minister, hujus effugii autor, quo voci Græcæ προσκυνήσεως, vox Latina *veneratio* redditur; alterum invenit non minus suo errori propitium, & neutiquam silentio prætermittendum. Quippe defendit hanc multis interpolationibus laborare Homiliam, probatque satis, ut videtur, nervose Codice MS. Græco Autoris anonymi, Bibliothecæ Regis Christianissimi, sub titulo περὶ θείων μυστηρίων· in quo quidem multa ex hac Homilia referuntur, sed magis contracta ac compendiaria, quam in vulgatis S. Cyrilli editionibus; ex quibus colligit amplificationes ejusmodi esse adscititias, certasque corruptionis & additionis notas. Sed cum ejusmodi effugia ingenio fabricaretur Albertinus, ut vires adversariorum averteret præsentiam veri ac proprii corporis Christi in Eucharistia urgentium; cultum & adorationem minime spectabat in hoc Codice MS. conceptis verbis expressam. Nam hæc verba in eo occurrunt,

ἀλλὰ τρόπῳ προσκυνήσεως λέγων τὸ Αμήν. Adeoque intelligimus quam futiles & supervacanei fuerint in hoc negotio Albertini conatus; quippe cum ex certa & recepta adoratione corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, ejusdem vera & realis præsentia necessario consequatur.

III. Sed dato, non concesso, eo loci vocem προσκυνήσις significare *venerationem*, ut aliquando ita contingere revera fatentur Grammatici; altera vox σεβάσματος, cui redditur vox *venerationis*, expuncta particula καὶ, vel per hanc *perinde*, ut nonnumquam fieri solet, expressa, significare posset *numinis*: adeoque sensus S. Cyrilli esset, *in modum adorationis perinde ac numinis*. Ex quo perspectam haberemus ab hoc Patre vendicatam adorationem Deo, seu numini in Eucharistia præsenti. Quis enim tantisper Linguæ Græcæ Autoribus adsuetus, nescit hanc vocem σεβάσματα apud Scriptores Ecclesiasticos & prophanos sæpe sæpius significare *numina*, quemadmodum σέβας, & σεβασμὸς, *cultum divinum* & *adorationem*? Uti patet ex libro III. Epist. 364. Isidori Pelusiotæ, τοῖς θείοις τὸ σέβας φυλάττουσι, & observavit doctissimus e secta Protestantium Grammaticus, Casparus Suicerus

in Theſauro Eccleſiaſtico Patrum Græcorum. Quamobrem ſemper neceſſe erit recognoſcere *venerationem* per vocem *προσκυνήσεως* a S. Cyrillo ſignificatam, ipſam eſſe adorationem: quippe cum inter *Deum venerari* & *adorare* nihil differat.

IV. Denique valde probabile eſt, S. Cyrillum adjunxiſſe hanc vocem *σεβάσματος* ad vocem *προσκυνήσεως*, ut eàm facilius explicaret, & intelligeremus Euchariſtiam inſtar Dei eſſe vera adoratione colendam. Enimvero licet apud Scriptores Eccleſiaſticos verbum *προσκυνεῖν* ſemper *adorare* ſignificet, duplex genus adorationis apud Græcos receptum fuiſſe fateri neceſſe eſt: unum ſcilicet creaturis exhibitum, quod officioſum appellamus: alterum ſoli Deò debitum, vel rebus cum Deo intime conjunctis, veluti carni & ſanguini Chriſti; quod religioſum nuncupamus. Utriuſque exempla proferre non erit tædioſum. Verbi gratia, Regum II. cap. XVIII. v. 21. *καὶ προσεκύνησε Χουσὶ τῷ Ἰωὰβ, καὶ ἐξῆλθε*, *Et adoravit Chuſi Joab, & abiit.* Libro III. cap. I. v. 53. *καὶ προσεκύνησε τῷ βασιλεῖ Σαλωμῶν*, *Et adoravit regem Salomonem.* Apud Iſidorum Peluſiotam lib. IV. Epiſt. XXVII. *τὸν τοῦ Χριστοῦ προσκυνούμενον χλευάζουσι τάφον*,

adorandum Christi sepulcrum cachinnis excipiunt. In Concilio Florentino sect. IV. cap. 4. κ᾽ ἕτεροι πολλοὶ προσεκύνησαν τὸν πατριάρχην, *Et alii multi Patriarcham adoraverunt.* Quis enim non intelligat ejusmodi adorationum species neutiquam spectare Deum, & ab ea quæ soli Deo rependitur, magnam dissimilitudinem habere? Quamobrem Anastasius Antiochenus, Sinaïtæ in Antiocheno Episcopatu successor, circa annum Christi DXCIX. de hujus verbi προσκυνεῖν significatione ait in Epistola ad scholasticos quosdam: Καὶ μηδεὶς προσκοπτέτω τῇ τῆς προσκυνήσεως σημασίᾳ· προσκυνοῦμεν γὰρ καὶ ἀνθρώπους, καὶ ἀγγέλους, καὶ ἁγίους, οὐ μὴν λατρεύομεν αὐτοῖς· Κύριον γὰρ, φησὶ Μωσῆς, τὸν Θεόν προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. *Nemo offendatur significatione vocis* προσκύνησις, adoratio: *adoramus enim etiam homines, & Angelos, & Sanctos; illis vero non servimus. Dominum enim tuum, inquit Moses, adorabis, & illi soli servies.*

Verumtamen Scriptores Canonici Novi Testamenti hoc verbo προσκυνεῖν ad significandam adorationem soli Deo aut Christo debitam semper usi sunt. Matthæi cap. II. v. II. de Magis, πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ, *Et procidentes adoraverunt eum.* cap. VIII.

v. 2. καὶ ἰδοὺ, λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, *Et ecce leprosus veniens adorabat eum.* cap. XV. v. 25. de Chananæa, ἡ δὲ ἐλθοῦσα προσεκύνει αὐτῷ, *Ecce veniens adorabat eum.* ibidem cap. XX. v. 20. mater filiorum Zebedæi vocatur προσκυνοῦσα, *adorans.* tum cap. XXVIII. v. 9. mulieres quibus post resurrectionem Christus apparuit, ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ, *tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* & v. 17. Discipuli ἰδόντες αὐτὸν προσεκύνησαν αὐτῷ, *videntes adoraverunt eum.* Marci cap. v. v. 6. ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ μακρόθεν, ἔδραμε, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ, *videns* JESUM *a longe, accurrit, & adoravit eum.* Lucæ cap. IV. v. 8. JESUS dixit diabolo, Προσκυνήσεις κύριον τὸν Θεόν σου, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Joannis cap. IV. v. 23. καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, *Etenim Pater tales quærit adorantes eum.* S. Paulus 1. Corinth. cap. XIV. v. 25. καὶ οὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ Θεῷ, *Et ita cadens in faciem adorabit Deum.* Hebr. cap. I. v. 6. καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ, *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* & cap. II. v. 21 mentione facta Jacobi extremum trahentis spiritum, hæc verba

refert ex Genesis cap. XLIX. juxta versionem LXX. καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *Et adoravit eum in summitate virgæ ejus.*

Hanc dicendi formulam adoptarunt sancti Patres, eoque verbo sæpissime usi sunt ad significandam soli Deo debitam adorationem. Infinita exempla continuo sermone hujusce lucubrationis non deerunt; quædam vero referre jam satis erit, ut animo cœptum consilium perficiam. S. Justinus Martyr, Apolog. II. pag. 64. ait, ὅθεν Θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, *Proinde Deum solum adoramus.* S. Clemens Alexandr. lib. III. Stromatων, pag. 323. lit. A. hæc habet: Θεὸς σεμνὸς καὶ προσκυνητὸς, *Deus venerandus & adorandus.* S. Athanasius hoc verbum cultum soli Deo debitum significare abundanter docet Oratione III. contra Arianos tomo I. pag. 394. κτίσμα κτίσμα οὐ προσκυνεῖ, ἀλλὰ δοῦλος δεσπότην, καὶ κτίσμα Θεόν. *Creatura creaturam non adorat, sed servus Dominum, & creatura Deum.* Quod continenti sermone probat exemplo S. Petri ex Act. cap. X. v. 25. & Angeli, ex Apocalypsis cap. XIX. v. 10. & XXII. v. 9. Πέτρος μὲν οὖν ὁ Απόστολος προσκυνῆσαι θέλοντα τὸν Κορνήλιον κωλύει λέγων, ὅτι κἀγὼ αὐ-

θεράπος εἰμι. ἄγγελος δὲ θέλοντα προσκυνῆσαι τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ ἀποκαλύψει, κωλύει λέγων, ὅρα μή, σύνδουλός σου εἰμί, καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν προφητῶν, καὶ τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου· τῷ Θεῷ προσκύνησον. *Petrus quidem Apostolus adorare volentem Cornelium prohibuit, dicens, Quia ego homo sum. Angelus vero volentem adorare Joannem in Apocalypsi, inhibuit, dicens, Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & custodientium sermones libri hujus. Deum adora.* Ex quibus hanc consecutionem assumit: οὐκ οὖν Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι; καὶ τοῦτο ἴσασι καὶ αὐτοὶ ἄγγελοι, ὅτι κἂν ἀλλήλους δόξαις ὑπερέχωσιν, ἀλλὰ κτίσματα πάντα εἰσί, καὶ οὐκ εἰσι τῶν προσκυνουμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων τὸν δεσπότην. *Nonne igitur solius est Dei adorari? Et hoc sciunt ipsi Angeli, qui quidem se invicem gloria transscendant; sed creaturæ omnes sunt, & non sunt ex iis quæ adorantur, sed quæ adorant Dominum.*

S. Gregorius Nazianzenus eadem vestigia ingeminat Oratione LII. pag. 746. qua Cledonium sic alloquitur: Καὶ οὐ δύο υἱοὺς ὀνομάζομεν, ἀλλ᾽ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἐν ἀδιαιρέτῳ θεότητι καὶ τιμῇ προσκυνοῦμεν. *Nec duos filios nominamus, sed unum & eumdem in indivisibili deitate & honore adoramus.*

S. Epiphanius in Ancorato, num. LI. pag. 54. lit. C. προσκυνεῖς τὸν σωτῆρα ἐν σώματι; ἢ οὐ προσκυνεῖς; πῶς οὖν μὴ προσκυνήσω; ἐὰν γὰρ μὴ προσκυνήσω, οὐκ ἔχω ζωήν. *Num Salvatorem adoras in corpore? an non adoras? quo tandem pacto non adorem? nisi enim adoravero, vitam non habeo.*

S. Chrysostomus Homilia CVIII. tom. VI. προσκυνητὴ ἐστι σὰρξ σὺν τῷ Θεῷ λόγῳ, καθὼς καὶ ἀποθέωσεν αὐτήν. *Adoranda est caro cum Deo Verbo, quemadmodum eam etiam deificavit.*

S. Cyrillus Alexandrinus in Actis Concilii Ephesini pag. 23. docet, Christum ὡς ἄνθρωπον οὐ προσκυνεῖσθαι, *tamquam hominem non adorari;* quoniam esset, inquit, τῇ κτίσει λατρεύειν, *adorare creaturam.* Ex quo intelligimus, προσκυνεῖν, &, λατρεύειν, esse verba synonyma, & idem significare; quippe pag. 138. ait: ὁμολογοῦμεν ὅλον προσκυνητὸν καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα προσκυνητόν. *Fatemur totum esse adorandum: sed non secundum corpus esse adorandum.*

S. Joannes Damascenus lib. III. de Fide orthodoxa cap. 7. & lib. IV. cap. 3. Theophylactus in cap. XVII. S. Joannis; Joannes Jejunator in lib. Pœnitentiali, Euchologium Græcorum, & omnes Liturgiæ

Græcæ eodem verbo adorationem Deo debitam ſignificarunt. Quamobrem hæc omnia aſſumere non pertimeſco ad concludendum, S. Cyrillum viam communem non deflexiſſe, & hac voce προσκύνησις, Euchariſtiæ adorationem Deo debitam ſignificaſſe: adeoque non dubitaſſe, ſanctiſſimum Sacramentum Chriſtum verum Deum complexu ſuo revera præſentem continere.

CAPUT V.

Argumentum ex S. Gregorio Nazianzeno aſſumptum, demortuo IX. *Maii anno Chriſti* CCCLXXXIX.

I. NULLAM veritatem in controverſiam adduxiſſe videntur homines Proteſtantes, quam non ſuſtentaverit Gregorius Nazianzenus: revera enim perſpicimus in Operibus ejus accenſos in funeribus cereos [a], preces pro mortuis [b], invocationem Sanctorum [c], venerationem reliquiarum [d], ſacrificium [e], altaria [f], verba Euchariſtiæ [g], jejunia [h], confeſſionem peccatorum [i], monachos diſ-

a *Orat.* 4. *pag.* 118. *Orat.* 10. *p.* 169.
b *Orat.* 10. *p.* 171 & 176.
c *Orat.* 19. *p.* 288 *Orat.* 20. *p.* 335.
d *Orat* 14. *p.* 221 *Orat.* 18. *p.* 285. *Orat.* 20. *p.* 371.
e *Orat.* 19. *p.* 305 *Orat.* 28. *p.* 484.
f *Orat.* 43. *p.* 697
g *Orat.* 19. *p.* 305
h *Orat.* 4. *p.* 123.
i *Orat.* 15. *p.* 236.

calceatos [k], preces Angelis oblatas [l], merita bonorum operum [m]; sed nihil manifestius & clarius ipsa JESU CHRISTI in Sacramento Altaris adoratione, scilicet Oratione XI. habita plenis comitiis, cum justa redderentur S. Gorgoniæ sorori, pagg. 186. & 187. in qua postquam observavit recuperationem bonæ valetudinis, non in medicorum scientia ac potestate positam fuisse, ait: Τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτοῦ τιμώμενον ἀνακαλουμένη μεγάλῃ τῇ βοῇ, καὶ πάσαις ταῖς κλήσεσι, καὶ πασῶν αὐτὸν τῶν πώποτε δυνάμεων ὑπομνήσασα. σοφὴ γὰρ ἐκείνη καὶ τὰ παλαιὰ καὶ τὰ νέα· τέλος εὐσεβῆ τινα καὶ καλὴν ἀναισχυντίαν ἀναισχυντεῖ. μιμεῖται τὴν τοῖς κρασπέδοις Χριστοῦ ξηράνασαν πηγὴν αἵματος. καὶ τί ποιεῖ; τῷ θυσιαστηρίῳ τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς προσθεῖσα μετὰ τῆς ἴσης βοῆς, καὶ δάκρυσι τούτῳ πλουσίοις, ὥσπερ τις πάλαι τοὺς πόδας Χριστοῦ καταβρέχουσα, καὶ μὴ πρότερον ἀνήσειν, ἢ τῆς ὑγείας τυχεῖν, ἀπειλοῦσα, εἶτα τῷ παρ' ἑαυτῆς φαρμάκῳ τούτῳ τὸ σῶμα πᾶν ἐπαλείφουσα, καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν· ὢ τοῦ θαύματος! ἀπῆλθεν εὐθὺς αἰσθομένη τῆς σωτηρίας, κούφη καὶ σῶμα, καὶ ψυχὴν, καὶ διάνοιαν, μισθὸν ἐλπίδος λαβοῦσα τὸ ἐλπιζόμενον, καὶ τῇ τῆς ψυ-

k Orat. 12. p. 191.
l Orat. 33. p. 528
m Orat. 1. p. 11. Orat. 9. p. 158. Orat. 31. p. 505.

χῆς δὲ ἐφόδια νομιζομένη τοῦ σώματος. Ad altare cum fide procumbit, eumque qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans, omnibusque nominibus appellans, atque omnia ea quæ umquam mirifice gesserat, velut in memoriam ei revocans; nam & veteres & novas historias callebat: tandem pia & præclara quadam impudentia effertur. Eam quæ Christi fimbria sanguinis profluvium compresserat, imitatur. Quidque fecerit, audite. Cum caput suum pari cum clamore lacrymisque quibus abundabat, (muliercu læ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit) altari admovisset, nec se prius illud dimissurum esse denuntiasset, quam sanitatem obtinuisset; ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset, & si quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset; o rem admirandam! statim liberatam se morbo sentit, atque & corpore & animo levis discedit, pro spei mercede id quod speraverat consecuta, per animæ robur corporis robur accipiens.

II. Ex his verbis intelligimus, S. Gorgoniam eum invocasse qui super altari honoratur, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀνακαλουμένη· quod soli Christo competit in Eucharistia occulto. Præterea observat

Gregorius, Gorgoniam imitatam esse eam mulierem, quæ Christi fimbria profluvium sanguinis compresserat, *μιμεῖται τὴν τοῖς κρασπέδοις Χριστοῦ ξηράνασαν πηγὴν αἵματος*, quæ quidem Christum adoravit, in quo maximam rerum suarum fidem collocaverat. Quis præterea dubitet, eum qui super altari honorabatur ea ætate S. Gorgoniæ, ipsum fuisse corporis & sanguinis Christi Sacramentum? Quippe cum illud lacrymis suis admiscuerit: *καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν.* Ex quo miraculum sanitatis recuperatæ consecutum est.

III. Insuper quid hoc significat, *super altari honorari*, nisi super altari adorari? Enimvero cum ait S. Joannes cap. v. v. 23. *ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα· ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα τὸν πέμψαντα αὐτόν. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum:* nonne significat Filium & Patrem æquabili ratione esse adorandos? Joannes Dallæus, Galliæ Protestantium Ministrorum doctissimus, eo loci S. Joannis debitum Christo divinæ adorationis

cultum comprobat verbis evangelicis præſcriptum, libro II. de religioſi Cultus objecto cap. I. pag. 220. Et infra libro II. oſtenſuri ſumus cap. IV. S. Paulum ex hac voce τιμὴ ſoli Deo exhibitam adorationem intellexiſſe, cum S. Germanum Conſtantinopolitanum explicabimus. Adeoque incredibile eſt, S. Gregorium veram corporis Chriſti in Euchariſtia adorationem non ſpectaſſe Oratione XIX. pag. 292. dum laudibus effert maximis S. Nonnam matrem ſuam, eo quod ſilentio ſancta honorarit, & adorandæ menſæ numquam terga obverterit. Πῶς ϗ τὸ παρ' ἐκείνης, μέγα τὸ, σιωπῇ τιμᾶσθαι τὰ ἅγια, τὸ μή ποτε νῶτα δοθῆναι τῇ σεβασμίῳ τραπέζῃ;

CAPUT VI.

Argumentum aſſumptum ex S. Ambroſio, Archiepiſcopo Mediolanenſi, demortuo IV. *Aprilis, anno Chriſti* CCCXCVII.

I. CUM S. Ambroſius in ſchola Chriſti S. Auguſtini doctor ac præceptor fuerit, dubitandi locus non relinquitur, quin diſcipulus ab eo didicerit,

inter partes ac munera hominis Christiani esse cultum & adorationem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia: uti infra ex sententiæ S. Augustini explicatione cap. x. perspectum habebimus. Verumenimvero sic fatur S. Ambrosius libro III. de Spiritu Sancto, cap. XII. pag. 403. cujus ætate, Christi in carne adorationem repudiabant hæretici; uti Calvinistæ ætate nostra in Eucharistia adorationem Christi pernegant. *Neque adorandum quicquam præter Deum legimus: quia scriptum est, Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Quomodo ergo adversus legem Propheta præciperet, sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cælum mihi thronus; terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus* JESUS *in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino* JESU, *ut supra diximus, adorarunt.*

II. Ex his abundanter patet, eandem carnem in mysteriis adorari, quam Apostoli in

in Christo inter homines versante coluerunt. At vero nemini homini mentis compoti jam dubium subolere potest, quin Apostoli veram & propriam Christi carnem adoraverint. Ergo in mysteriis veram & propriam Christi carnem adoramus.

III. Quamvis ex mente S. Ambrosii nihil sit adorandum præter Deum, *neque adorandum quicquam præter Deum legimus*; certum est ex eodem, aliquo sensu adorandum esse scabellum pedum ejus, illudque scabellum debere Deo tam intime conjungi & uniri, ut Deus ipse sit. Quamobrem docet, non esse adorandam terram, quamvis sit scabellum pedum Dei; quippe cum cultus adorationis simplici creaturæ numquam exhiberi debeat: sed per scabellum de quo loquitur Propheta, intelligendam esse carnem Christi, quam Apostoli, dum in terris viveret, adoravere. At vero non adoraverunt Apostoli figuram carnis: non enim Verbum figura carnis factum est, sed vera caro. Quapropter cum ex S. Ambrosio, eandem carnem in Eucharistia adoremus: *Quam hodie in mysteriis adoramus:* hanc carnem revera mysteria suo complexu continent, non in figura; & ei cultum divinum, & veram adoratio-

nem soli Deo debitam rependimus, non simplicem venerationem & honorem.

CAPUT VII.

Probatur sanctissimi Sacramenti adoratio, ex S. Joanne Chrysostomo, defuncto XIV. *Novembris anno Christi* CCCCVII.

I. CUM nullus sanctorum Patrum magis conceptis verbis corporis Christi in Eucharistia præsentiam docuerit, quam S. Joannes Chrysostomus; nullus similiter in ejusdem adoratione commendanda magis commendatione dignus evasit. Quam ob causam Centuriatores Magdeburgenses rotunde fatentur Centuria IV. & V. hunc Patrem videri valde propitium transsubstantiationi. Porro sic fatur Homilia de beato Philogonio, scilicet XXXI. tomi I. pag. 357. in qua postquam Christum in altari descripsit, ac veluti in præsepi adumbravit adoratum a Magis; defendit non solum adorando debere nos imitatione consequi Magos, sed ipsum domum nostram transferre, eique pro muneribus vota ac preces nostras offerre. Οἱ μὲν οὖν μάγοι

προσεκύνησαν μόνον· σὺ δὲ ἂν μετὰ καθαροῦ προσέλθῃς συνειδότος, καὶ λαβεῖν σοι αὐτὸ συγχωρήσομεν καὶ ἀπελθεῖν οἴκαδε· πρόσιθι τοίνυν καὶ σὺ, δῶρα προσάγων, μὴ τοιαῦτα οἷα ἐκεῖνοι, ἀλλὰ πολλῷ σεμνότερα. προσήνεγκαν ἐκεῖνοι χρυσόν· προσένεγκε σὺ σωφροσύνην καὶ ἀρετήν. προσήνεγκαν ἐκεῖνοι λιβανωτόν· προσένεγκε σὺ εὐχὰς καθαρὰς, τὰ θυμιάματα τὰ πνευματικά· προσήνεγκαν ἐκεῖνοι σμύρναν· προσένεγκε σὺ ταπεινοφροσύνην, καὶ τεταπεινωμένην καρδίαν, καὶ ἐλεημοσύνην. *Ac Magi quidem nihil aliud quam adorarunt: tibi vero, si cum pura accesseris conscientia, permittemus ut sumas, & sumpto domum abeas. Accede igitur & tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multo honestiora. Obtulerunt illi aurum; offer tu temperantiam & virtutem. Obtulerunt illi thus; offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia. Obtulerunt illi myrrham; offer tu humilitatem, & cor submissum, & eleemosynam.*

II. Hanc veritatem mirabiliter confirmat Homilia VII. in Matthæum. Σπεῦσον ἐπὶ τὴν Βηθλεὲμ, ὅπου ὁ οἶκος τοῦ ἄρτου τοῦ πνευματικοῦ· κἂν γὰρ ποιμὴν ἦς, καὶ ἐνταῦθα ἔλθῃς, ὄψει τὸ παιδίον ἐν καταλύματι· κἂν βασιλεὺς ἦς, καὶ μὴ παραγένῃ, οὐδέν σοι τῆς πορφυρίδος ὄφελος· κἂν μάγος ἦς, οὐδέν σε κωλύσει,

τοῦτο μόνον ἂν ἐπὶ τῷ τιμῆσαι ἔλθῃς, καὶ προσκυνῆσαι, καὶ μὴ καταπατῆσαι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ· ἂν μετὰ τρόμου καὶ χαρᾶς τοῦτο ποιῇς· ἔστι γὰρ ταῦτα ὁμοῦ συνελθεῖν ἀμφότερα. ἀλλ' ὅρα μὴ κατὰ τὸν Ἡρώδην γένῃ, καὶ εἴπῃς· ὅπως ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ, καὶ ἐλθὼν ἀνελεῖν βουληθῇς. τούτῳ γὰρ ἐοίκασιν οἱ τῶν μυστηρίων ἀναξίως μετέχοντες. ἔνοχος γὰρ ὁ τοιοῦτος ἔσται, φησὶ, τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου. καὶ γὰρ ἔχουσιν ἐν ἑαυτοῖς τὸν τύραννον ἀλγοῦντα τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ, τὸν ἐκείνου τοῦ Ἡρώδου παρανομώτερον μαμωνᾶν. οὗτος γὰρ βούλεται κρατεῖν, καὶ πέμπει τοὺς οἰκείους τοὺς ἑαυτοῦ προσκυνήσοντας μὲν σχήματι, σφάττοντας δὲ ἐν τῷ προσκυνεῖν· φοβηθῶμεν τοίνυν μήποτε σχῆμα μὲν ἱκετῶν καὶ προσκυνητῶν ἔχωμεν, ἐν δὲ τῷ ἔργῳ τὰ ἐναντία ἐπιδεικνύμεθα· καὶ πάντα ἀπὸ τῶν χειρῶν ῥίψωμεν, προσκυνεῖν μέλλοντες. *Festina in Bethlehem, ubi domus panis spiritualis: & si enim pastor fueris, eoque adveneris, in diversorio puerum videbis. Et si rex fueris, nec tamen devotus adveneris, nihil omnino proderit purpuræ fulgore circumdari. Si Magus forte sis, nihil te ad hunc Regem intrare prohibebit; modo ut honoraturus atque adoraturus Dei Filium, & non quasi conculcaturus advenias: modo ut honorem ipsum cum gaudio & tremore offeras: possunt enim utraque hæc pariter*

convenire. Sed cave ne Herodi efficiaris similis, & dicas, Ut ego veniens adorem eum: *cumque veneris, interimere coneris. Hujus etenim similes sunt qui indigne abutuntur communione mysterii.* Reus est *enim, inquit,* corporis & sanguinis Domini. *Qui enim ejusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi jugiter invidentem, longe sane Herode illo nequiorem, mammonam scilicet. Hic enim in homines tenere imperium gestit, suosque cultores simulat, & mittit ad Christum, ut specie quidem adorare videantur; quantum vero ex ipsis est, interimunt eum quem adorare se simulant. Timeamus igitur, nequando speciem supplicum atque adorantium geramus, opere vero existamus inimici. Igitur adoraturi Christum cuncta projiciamus e manibus.*

Matth. 2. 8.

1. Cor. 11. 27.

Ne quis vero sibi persuadeat, ejusmodi adorationem de qua loquitur S. Chrysostomus, solam Christi personam spectare, omni ad Eucharistiam postposito respectu: eandem comparationem Magorum cum accedentibus ad Eucharistiam hominibus, accuratius tornandam incudi reddit Homilia XXIV. in cap. X. Epistolæ I. ad Corinthios pag. 538. in qua veritatem tam plane & perspicue expedit, ut nulla res infirmare

possit. Μιμησώμεθα τοίνυν κἂν τοὺς βαρβάρους, οἱ τῶν οὐρανῶν πολῖται. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ καὶ ἐπὶ φάτνης ἰδόντες, καὶ ἐν καλύβῃ, καὶ οὐδὲν τοιοῦτον ἰδόντες οἷον σὺ νῦν, μετὰ πολλῆς τῆς φρίκης προσῄεσαν. σὺ δὲ οὐκ ἐν φάτνῃ ὁρᾷς, ἀλλ' ἐν θυσιαστηρίῳ· οὐ γυναῖκα κατέχουσαν, ἀλλ' ἱερέα παρεστῶτα, καὶ πνεῦμα μετὰ πολλῆς τῆς δαψιλείας τοῖς προκειμένοις ἐφιπτάμενον. οὐχ ἁπλῶς αὐτὸ τοῦτο τὸ σῶμα ὁρᾷς, ὥσπερ ἐκεῖνοι· ἀλλ' οἶδας αὐτοῦ καὶ τὴν δύναμιν, καὶ τὴν οἰκονομίαν ἅπασαν, καὶ οὐδὲν ἀγνοεῖς τῶν δι' αὐτοῦ τελεσθέντων, μετ' ἀκριβείας μυσταγωγηθεὶς ἅπαντα. Διαναστήσωμεν τοίνυν ἑαυτοὺς, καὶ φρίξωμεν, καὶ πολλῷ τῶν βαρβάρων ἐκείνων πλείονα ἐπιδειξώμεθα τὴν εὐλάβειαν, ἵνα μὴ ἁπλῶς, μηδὲ ὡς ἔτυχε προσελθόντες, πῦρ ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν σωρεύσωμεν κεφαλήν. Ταῦτα δὲ λέγω, οὐχ ἵνα μὴ προσιῶμεν, ἀλλ' ἵνα μὴ ἁπλῶς προσιῶμεν· ὥσπερ γὰρ τὸ ὡς ἔτυχε προσιέναι, κίνδυνος, οὕτω τὸ μὴ κοινωνεῖν τῶν μυστικῶν δείπνων ἐκείνων, λιμὸς καὶ θάνατος. *Imitemur ergo vel barbaros*, ſcilicet Magos, *nos cælorum cives. Nam & illi quidem cum & in præſepi vidiſſent, & in tugurio, neque tale quidpiam vidiſſent quale tu nunc, cum magna reverentia acceſſerunt. Tu autem non in præſepi vides, ſed in altari; non feminam eum tenentem, ſed Sacerdotem adſtantem, & ſpiritum*

cum magna copia ea quæ ſunt propoſita, ſupervolantem. Non ſolum hoc ipſum corpus vides ſicut illi; ſed noſti ejus virtutem & diſpenſationem, & nihil ignoras ex iis quæ per ipſum effecta ſunt, ut qui in omnibus myſteriis ſis exacte & accurate initiatus. Nos ergo ipſos excitemus, & formidemus, & longe majorem quam illi barbari, oſtendamus reverentiam, ne ſi temere & inconſiderate acceſſerimus, in noſtrum caput ignem congeramus. Hæc autem dico, non ut non accedamus, ſed ne temere & inconſiderate accedamus. Nam ſicut temere & citra diſcrimen accedere eſt periculum, ita myſticarum illarum cœnarum non eſſe participes, & fames & mors.

III. At vero numquam magis mentem explicat, quam Sermone XXXI. in diem natalem Domini, tomo V. pagg. 479. & 480. ibi enim poſtquam dixit, ἐνθυμήθητι καὶ ὅτι γῆ ὢν καὶ σποδὸς, αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ μεταλαμβάνεις. *Recogita quod cum terra ſis & cinis, ſanguinem & corpus Chriſti accipis;* & obſervavit, Cherubim & Seraphim cum timore & tremore his intereſſe myſteriis divinis, clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, ac præparationem in Euchariſtia percipienda adhibendam explicuit, adeoque caritatem, pacem, & animi tranquillitatem

præſcripſit, his verbis concludit: Φρίξωμεν τοίνυν προσιόντες, εὐχαριστήσωμεν, προσπέσωμεν ἐξομολογούμενοι τὰ πταίσματα ἡμῶν, δακρύσωμεν τὰ οἰκεῖα πενθοῦντες κακὰ, ἐκτενεῖς εὐχὰς ἀποδῶμεν τῷ Θεῷ· καὶ οὕτω διακαθάραντες ἑαυτοὺς ἠρέμα, καὶ μετὰ τῆς προσηκούσης εὐταξίας, ὡς τῷ βασιλεῖ προσιόντες τῶν οὐρανῶν, οὕτω προσέλθωμεν, καὶ δεξάμενοι τὸ ἄμωμον καὶ ἁγίαν θυσίαν καταφιλήσωμεν, τοῖς ὀφθαλμοῖς περιπτυξώμεθα, διαθερμάνωμεν ἑαυτῶν τὴν διάνοιαν. *Cum horrore itaque accedamus, gratias agamus, procumbamus confitentes peccata noſtra, lacrymemur mala noſtra lugentes, intentas ac largas preces Deo fundamus: ſicque noſipſos emendantes tacite & cum debita modeſtia, tamquam ad cælorum regem adeuntes accedamus, ſanctamque hanc & immaculatam hoſtiam recipientes, exoſculemur, oculis eam complexi, mentemque & animum incendamus.* At vero, poterantne majora adorationis Euchariſtiæ indicia poſteris imprimi, quam ad ſacram hoſtiam cum horrore accedere, eam exoſculari, mentemque & animum igne caritatis accendere? cum præſertim antea probaverimus, veram adorationem Dei cum caritate Chriſti diſſimilitudinem non habere.

ap. 11.

IV. Denique quid jam vetat, aut remoram imponere poteſt adorationi Chriſti

in Euchariſtia, quem ab Angelis adorari non dubitavit S. Chryſoſtomus? Homilia XIV. in Epiſt. ad Epheſ. XII. in I. ad Corinth. libro III. de Sacerdotio cap. 4. ſed potiſſime lib. VI. cap. 4. pag. 94. qua conceptis verbis ſic mentem ſuam explicat: Ἐγὼ δὲ καί τινος ἤκουσα διηγουμένου ποτὲ, ὅτι αὐτῷ τις πρεσβύτης θαυμαστὸς ἀνὴρ, καὶ ἀποκαλύψεις ὁρᾶν εἰωθὼς, ἔλεγεν ὄψεως ἠξιάσθαι τοιαύτης ποτὲ, καὶ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἄφνω πλῆθος ἀγγέλων ἰδεῖν, ὡς αὐτῷ δυνατὸν ἦν, στολὰς ἀναβεβλημένων λαμπρὰς, καὶ τὸ θυσιαστήριον κυκλούντων, καὶ κάτω νευόντων, ὡς ἂν εἴ τις στρατιώτας παρόντος βασιλέως ἑστηκότας ἴδοι. καὶ ἔγωγε πείθομαι. *Ego vero commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret ſenem quemdam virum admirabilem, ac cui revelationum myſteria multa divinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo eſſe, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conſpexiſſe, quatenus aſpectus humanus ferre poterat, candidis veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium, denique ſic capite inclinatorum, ut ſi quis milites præſente rege ſtantes videat. Id quod facile mihi ipſe perſuadeo.* Jam vero non anquirimus, an vera vel falſa ſit ejuſmodi viſio: ſatis enim eſt de ea non dubitaſſe S.

Chrysostomum, ut sibi persuaderet adorandam esse summo & divino cultu Eucharistiam, etiam ritu extrinseco; qualis esse solet militum cultus coram rege inclinato capite ac vultu demisso stantium.

CAPUT VIII.

Argumentum ex Homilia Joannis Episcopi Hierosolymitani assumptum, demortui anno Christi CCCCXVI.

I. ILLE est Joannes magnus, Episcopus Hierosolymitanus, successor S. Cyrilli, anno Christi CCCLXXXVI. cujus nomen tot laudibus extollit S. Augustinus contra Petilianum Donatistam; ad quem Epistolam CLXXIX. inscripsit, sive in antiquis editionibus CCLII. qua mittit ei Librum de Natura & Gratia, adversus Pelagium hæreticum, eidem Joanni quadam familiaritate conjunctum, & ab eo apographum postulavit Actorum Concilii Diospolitani anno CCCCXV. celebrati, in quo sui criminis vim coluber Britannicus, elusis atque omni ratione jactatis Patribus, subterfugit.

II. R.P. Wastelius Carmelita, non le-

viter de republica literaria meritus eſt, vindicata Joannis Hieroſolymitani memoria ab omni ſuſpicione hæreſis Origenianæ, qua apud S. Epiphanium & S. Hieronymum laborabat. Ab eodem P. Waſtelio ſimiliter accepimus, Sermonem XXXVIII. de Pœnitentia, relatum tomo V. Operum S. Chryſoſtomi, editionis docti Jeſuitæ Frontonis-Ducæi, præferre debere titulum *de ſacra menſa in Encæniis*, & eſſe Joanni Hieroſolymitano, non Conſtantinopolitano adſcribendum.

At vero nullum ſuppeditat nobis antiquitas Eccleſiaſtica teſtimonium adorationis Euchariſtiæ luculentius, ac tranſſubſtantiationi magis propitium eo, quod ex hac Homilia aſſumitur, tom. V. S. Chryſoſtomi pag. 569. Ἀλλ' ὥσπερ κηρὸς πυρὶ προσομιλήσας, οὐδὲν ἀπουσιάζει, οὐδὲν περιττεύει· οὕτω καὶ ὧδε νόμιζε συναναλίσκεσθαι τὰ μυστήρια τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ. διὸ καὶ προσερχόμενοι, μὴ ὡς ἐξ ἀνθρώπου νομίσητε μεταλαμβάνειν τοῦ θείου σώματος, ἀλλ' ὡς ἐξ αὐτῶν τῶν Σεραφὶμ τῇ λαβίδι τοῦ πυρὸς, ὥσπερ Ἡσαΐας εἶδε, τοῦ θείου σώματος μεταλαμβάνειν νομίζετε. καὶ ὡς ἐκ τῆς θείας καὶ ἀχράντου πλευρᾶς ἐφαπτόμενοι τοῖς χείλεσιν, οὕτω τοῦ σωτηρίου αἵματος μεταλάβωμεν. τοιγαροῦν, ἀδελφοὶ, τὴν ἐκκλησίαν μὴ ἀπολει-

πώμεθα, μήτε πάλιν ἐν αὐταῖς συντυχίαις ἑαυτοὺς ἀσχολῶμεν· στῶμεν ἔμφοβοι καὶ ἔντρομοι, κάτω νεύοντες τὸ ὄμμα, ἄνω δὲ τὴν ψυχήν· στενάζοντες ἀφώνως, ἀλαλάζωμεν τῇ καρδίᾳ. *Quemadmodum enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit; sic & hic puta mysteria, scilicet panem & vinum, consumi substantia corporis. Propter quod & accedentes ne putetis quod accipiatis divinum corpus ex homine, sed ex ipsorum Seraphim forcipe ignem, quem scilicet Isaias vidit. Vos accipere reputate salutarem sanguinem, quasi e divino & impolluto latere affluere, & ita approximantes labiis puris accipite. Quocirca, fratres, oro vos & obsecro, ne absimus ab Ecclesiis, neque in ipsis colloquiis occupati simus; stemus trementes & timidi, demissis oculis, elevata autem anima, gementes sine voce, ejulantes corde.* Observandum etiam est hunc Patrem paulo antea de Eucharistia dixisse: μὴ ὅτι ἄρτος ἐστὶν ἴδῃς; μηδ' ὅτι οἶνός ἐστι νομίσῃς; οὐ γὰρ ὡς αἱ λοιπαὶ βρώσεις εἰς ἀφεδρῶνα χωρεῖ. ἄπαγε, μὴ τοῦτο νόει. *Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit ne sic cogites.*

III. Sed hæc omnia amplificari explicatione non indigent: si quis enim ex his

verbis transſubſtantiationem, & ex ea conſectaneam Chriſti in Euchariſtia adorationem non intelligat, eam eloqui, aut literis & verbis conſequi non in hominum poteſtate poſitum eſt. Et ſi ex his, *Stemus trementes & timidi, demiſſis oculis, elevata autem anima, gementes ſine voce, & ejulantes corde*, non perſpectæ habeantur exterioris cultus & adorationis notæ; haud ſcio quibus coloribus eas effingere aut efformare neceſſe ſit, ut eas Calviniani homines internoſcant: qui Catholicis viris tot lœdoriis, genuflexiones, aliaque exterioris cultus indicia erga ſanctiſſimum Sacramentum exprobrant, & quaſi noſtræ adorationis, &, ut loquuntur, ἀρτολατρείας τεκμήρια ſuggillant.

CAPUT IX.

S. Nilus, S. Chryſoſtomi diſcipulus, Aſceta deſerti Sinaï, qui vixit ad annum Chriſti circiter CCCCLI. *adorationem Euchariſtiæ comprobat.*

I. ACCEPTAS referimus S. Nili Literas Græco idiomate conſcriptas,

eminentissimo Cardinali Francisco Barberino, quas cura & studio eruditissimi Leonis Allatii, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, publici juris fecit anno MDCLXVIII. Romæ typis Barberinis, apud Fabium de Falco. Earumdem Literarum collectionem quandam, sed magis exiguam publicaverat antea anno MDCLVII. P. Possinus Jesuita doctissimus. Deinceps continuo tempore Josephus Maria Suaresius, olim Episcopus Vasionensis, alterum volumen Operum S. Nili Romæ in publicam lucem emisit anno MDCLXXIII. cum libro chronologico de Vita hujus sancti Ascetæ, opere singularium ac rarissimarum observationum refertissimo. Ex eo intelligimus, S. Nilum urbis Constantinopolitanæ fuisse Præfectum tempore persecutionis S. Chrysostomi, & hujus sanctissimi Archiepiscopi suasione, cum filio Theodulo, abdicato magistratu, in solitudinem Sinaï secessisse, in qua quatuor libros Literarum, & reliqua opuscula quæ in manibus hominum doctorum versantur, scripsit. Ex quibus eum S. Chrysostomi discipulum fuisse didicimus, sed præsertim ex conformatione doctrinæ & sententiæ in iis quæ sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum spectant; Epistolis XLIV. & XCIX.

libri I. quas hic exſcribere non neceſſe eſt, cum præſentiam corporis tantummodo, adorationem vero quam hoc opere tuendam recepi, directe non reſpiciant.

II. Sed ſilentio prætermittere nefas eſt Epiſtolam CCXCIV. libri II. ad Anaſtaſium Epiſcopum ſcriptam, in qua refert magiſtrum ſuum Chryſoſtomum inter ſolemnia ſacrificii incruenti vidiſſe multitudinem Angelorum Chriſtum in Euchariſtia adorantium; adeoque confirmat, ſe ab eodem accepiſſe, quod ipſe Chryſoſtomus palam & publice ſcripſit Sermone XXXI. in diem natalem Domini, tom. V. Homilia XIV. in Epiſtolam ad Epheſ. & XLI. in I. ad Corinth. & lib. VI. de Sacerdotio cap. 4. Ἀρχομένου γάρ, φησι, τοῦ ἱερέως τὴν ἁγίαν ποιεῖσθαι προσκομιδήν, πλείστας ἐξαίφνης τῶν μακαρίων δυνάμεων ἐξ οὐρανοῦ κατελθούσας, ὑπολάμπρους τινὰς στολὰς περιβεβλημένας, γυμνῷ τῷ ποδί, συντόνῳ τῷ βλέμματι, κάτω δὲ νεύοντι τῷ προσώπῳ περιστοιχήσασθαι τὸ θυσιαστήριον μετ' εὐλαβείας, καὶ πολλῆς ἡσυχίας, καὶ σιωπῆς, παρεί-στανται μέχρι τῆς τελειώσεως τοῦ φρικτοῦ μυστηρίου. *Incipiente enim, aiebat, Sacerdote facere ſanctam actionem, ſeu oblationem, pleraſque repente ex beatis poteſtatibus e cælo deſcendere, ſplendidis ſtolis circumamictas, nudo pede,*

humili aſpectu, demiſſa facie, circumeuntes altare cum reverentia & multa quiete & ſilentio, adſtantes uſque ad conſummationem tremendi myſterii. Non enim poſſunt adorationis externæ indicia magis aperta conſpici.

III. Sed interiorem mirabiliter confirmat Epiſtola CCLXXX. lib. III. homini cui nomen erat Origeni, ſcripta: Ἀδύνατον ἄλλως σωθῆναι τὸν πιστὸν, καὶ ἄφεσιν πλημμελημάτων λαβεῖν, καὶ βασιλείας ἐπουρανίου τυχεῖν, εἰ μὴ μεταλάβοι μετὰ φόβου, καὶ πόθου, τῶν μυστικῶν καὶ ἀχράντων σώματός τε, καὶ αἵματος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ. *Impoſſibile eſt fidelem ſalvari, remiſſionem delictorum accipere, & regnum cæleſte habere, niſi recipiat cum timore & amore, myſtica & incontaminata corpus & ſanguinem Chriſti Dei.* Ex nullo enim cultu magis intelligitur adoratio, quam ex amore & caritate: ut ex Patribus Græcis, & S. Auguſtino ſupra oſtendimus capite II.

CAPUT

CAPUT X.

Argumentum invictissimum adorationis Eucharistiæ ex S. Augustino, Episcopo Hipponensi, assumptum, defuncto anno Christi CCCCXXX. XXVIII. *Augusti.*

BENE ac sapienter exposito supra S. Ambrosii testimonio, incredibile videretur, S. Augustinum in contrariam ivisse sententiam: cujus mentem faciliter perspectam ex multis sancti Doctoris locis habebimus.

I. Hæc verba legimus Epistola CXL. sive CCCCXX. ante editionem novam Benedictinorum Monachorum, quam scripsit ad Honoratum, ut ad multas quæstiones sibi propositas responderet, capite XXIV. numero 61. *Vota sua sacrificium vult intelligi corporis sui, quod est fidelium Sacramentum. Ideo cum dixisset, Vota mea reddam coram timentibus eum; continuo subjunxit, Edent pauperes, & saturabuntur pane qui de cælo descendit, qui ei cohærentes, & ejus pacem, dilectionemque servantes, imitantur ejus humilitatem: ideo pauperes in hac paupertate & saturitate præcipue Apostoli claruerunt.* At vero

cum ex mente S. Augustini, verus Dei cultus in amore & caritate consistat: *Hoc colitur quod diligitur.* in Psal. LXXVII. *Et quis est Dei cultus, nisi amor ejus?* lib. XII. de Trinitate, cap. IV. & hic cohærentiam pani vitæ, & ejus pacem ac dilectionem commendet; dubitandi locus non relinquitur, quin Eucharistiam summo ac divino cultu adorandam reputaverit.

II. Hanc veritatem continenti sermone ejusdem Epist. cap. XXVII. comprobat, explicans abundanter hæc verba Psalmi XXI. *Edent pauperes, & saturabuntur; Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ.* Ait enim, *Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipient de corpore & sanguine ejus: sed adorant tantum, non etiam saturantur, quoniam non imitantur.* Nemini enim homini, qui de potestate mentis non excesserit, dubium subolere potest ex tam conceptis verbis, quin divites & pauperes æquabiliter corpus & sanguinem Christi in sacra mensa sibi propinatum adorent: imposito discrimine solo, quod eo pauperes saturentur; divites vero *adorent tantum, non etiam saturentur, quia non imitantur.* Explicationem mentis continuo sermone paulo inferius amplificat. *Sed fama celsitudinis ejus*

excitati a mortuis, & gloria nominis ejus in Ecclesia usquequaque diffusa permoti, & ipsi ad mensam veniunt, manducant, & adorant; non tamen saturantur, quia non esuriunt & sitiunt justitiam.

III. Denique S. Augustinus omnem de hac causa redintegratam litem dirimit, magistri Ambrosii vestigia ingeminans, dum ejus explicationem adoptat in hæc verba: *Adorate scabellum pedum ejus.* Enarrat. in Psalmum XCVIII. pag. 452. litt. C. D. Constituto enim dogmate, quo ex Scriptura intelligimus, solum Deum esse adorandum, *Cum dicat aperte Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis*, & ipsam terram esse scabellum pedum Dei. *Quæro quid sit scabellum pedum ejus; & dicit mihi Scriptura, Terra scabellum pedum meorum.* Hac arte duas, Dei scilicet & terræ, adorationes conciliat, & in unam redigit, utramque in Christum ex divina & humana natura compactum in Eucharistia revera existentem transferens. *Fluctuans*, inquit, *converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit; & quia*

in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: (nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit) inventum est quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

At inquit pag. 70. Minister superstitionis Calvinianæ, Autor anonymus Responsionis ad Librum vernaculo sermone scriptum, sub titulo Officii sanctissimi Sacramenti, publici juris factum Parisiis sumptibus Petri Parvi, anno Domini MDCLIX.
„ Non dicit Augustinus, adorandam esse car-
„ nem Christi in Eucharistia; & etiamsi di-
„ ceret, consecutus sententiam S. Ambrosii,
„ quid inde colligi posset?

Quid ergo sibi vult Augustinus, dum ait: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit?* Caro enim Christi quæ manducatur, numquid non in Eucharistia sumitur? Insuper quæ potest dissimilitudo inveniri inter verba S. Ambrosii & verba S. Augustini? Quæ cum ita sint, consecutione manifesta colligitur, 1. adorandum esse Christum in Eucharistia: 2. eumdem in ea revera existere; & de hac veritate S. Ambrosium & S. Augustinum non dubitasse:

quippe cum ex Christi præsentia & existentia, ubicumque sit, summa & divina adoratio ad normam directa ratiocinatione consequatur.

At, inquit Minister, eadem consequentia colligetur faciliter ex baptismo; non enim dubitandum est, antiquos catechumenos adorasse Christum dum tingebantur.

Sed cum S. Ambrosius & S. Augustinus non dicant in baptismatis receptione manducari carnem Christi, sicut in Eucharistiæ communione: *Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit;* supervacaneum & incogitabile videbitur semper homini mentis compoti, ejusmodi conclusionem ex baptismate colligere.

At instat Minister, Non in eo reprehendimus Ecclesiam Romanam, quod Christi carnem adoret extra Sacramenta, vel intra; sed quod adoret id quod Christus neutiquam est.

Sed obfirmato pectore respondent omnes Ecclesiæ Romanæ defensores & patroni, nec necesse, nec opus esse, præter Christum Dominum quicquam in Sacramento adorare, & grande peccatum committi, si non adoretur. *Inventum est quem-*

admodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Incogitabile eſt, dixiſſe aut credidiſſe Eccleſiam, adorandum eſſe panem aut vinum, quæ panem & vinum in Euchariſtia numquam credidit permanere; ſpecies etiam viſibiles numquam exiſtimavit per ſe adoratione dignas.

At inquit Edmundus Albertinus, libro II. de Euchariſtia, pag. 432. edit. Daventrienſis: Joſephus [a] προσκύνησιν templis » tribuit, ſive *adorationem*. Et poſt Joſephum Clerus Eccleſiæ Apameenſis [b]; » Conſtantius [c] προσκύνητον νόμον appellat, » Iſidorus Peluſiota [d] προσκυνούμενον Salvatoris ſepulcrum, Leo II. [e] Romam, » thronum apoſtolicum προσκυνητόν; Juſtinianus [f] denique baptiſmum, alterum religionis Chriſtianæ ſacramentum, προσκύνητον indigetat. Adeoque mirandum non eſſe exiſtimat, quoſdam Patres aliquo ſenſu Euchariſtiam adorandam reputaſſe; quippe cum ejuſmodi adorationis ſpecies, quædam ſit veneratio ac reſpectus, quem rebus ſacris debitum eſſe inficiari nemo poteſt.

Sed cum S. Ambroſius & S. Auguſtinus de adoratione Euchariſtiæ mentionem faciunt, luce meridiana clarius patet, eos

a *Lib.* 13. *Antiquit.* c. 5. & 6.
b *In Concil.* VI. *tom.* IV. *pag.* 107.
c *Apud S. Athanaſium de Synod. Arimin. & Seleucienſi.*
d *Lib.* 4. *Epiſt.* 27.
e *Concil. ſub Menna act.* 5.
f *Novell.* 6.

ejusmodi adorationem officiosam rebus creatis sæpe relatam non spectare, sed religiosam & soli Deo debitam. Integra enim eorum ratiocinatio eo devolvitur, ut adorationem scabelli pedum Dei, in ipsam met Dei adorationem transferant; adeoque carnem Christi in Eucharistia esitatam, propter unionem & intimam conjunctionem cum Divinitate, pari cultu & adoratione cum Deo ipso colendam esse demonstrent. Quæ cum ita sint, nihil magis a rectæ rationis & sensus communis institutis alienum esse potest, quam sibi fingere ejusmodi Patres non sibi persuasisse, revera proprium ac verum Christi corpus & sanguinem in Sacramento Eucharistiæ existère. Enimvero si mentem suam ad rationes Protestantium adjunxissent, nihil facilius erat ad explicandas Scripturas, & hæc effata, quæ specie quadam contraria videbantur, conciliandа: *Dominum Deum tuum adorabis.* &, *Adorate scabellum pedum ejus.* quam duplex genus adorationis constituere; unum officiosum quod creaturis competit, & alterum religiosum quod soli Deo. Sed econtra utramque adorationem nullatenus inter se differre ostendunt, & in unam eandemque solius Dei adorationem recidere do-

cent, & conceptis verbis demonſtrant. Enimvero ut probent adorationem ſcabelli pedum Domini, ad Incarnationis & Euchariſtiæ myſteria confugiunt; & bene conſtituta unione carnis cum Divinitate in Incarnatione, ac ejuſdem comeſtione in Euchariſtia, palam & aperte colligunt, eandem adorationem, quæ his verbis Scripturæ, *Dominum Deum tuum adorabis*, ſoli Deo debetur; his etiam aliis, ſcabello pedum ejus præſcribi: *Adorate ſcabellum pedum ejus*. Quamobrem ait S. Auguſtinus: *Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: (nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit) inventum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.*

CAPUT XI.

Argumentum aſſumptum ex Epiſtola S. Cyrilli, Archiepiſcopi Alexandrini, & Synodi Ægypti, ad hæreticum Neſtorium, Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum.

I. HÆc Epiſtola occurrit parte I. Actorum Concilii Epheſini celebrati anno Chriſti CCCCXXXI. pag. 151. partis II. tomi I. Conciliorum Binii, Coloniæ MDCXVIII. in qua hæc verba leguntur pag. 153. lit. E. Ἀναγκαίως δὲ κἀκεῖνο προσθήσομεν· καταγγέλλοντες γὰρ τὸν κατὰ σάρκα θάνατον τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τουτέστιν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τήν τε ἐκ νεκρῶν ἀναβίωσιν, καὶ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν ὁμολογοῦντες, τὴν ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν λατρείαν· πρόσιμέν τε οὕτω ταῖς μυστικαῖς εὐλογίαις, καὶ ἁγιαζόμεθα, μέτοχοι γενόμενοι τῆς τε ἁγίας σαρκὸς, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριστοῦ. καὶ οὐχ ὡς σάρκα κοινὴν δεχόμενοι· μὴ γένοιτο· οὔτε μὴν ὡς ἀνδρὸς ἡγιασμένου, καὶ συναφθέντος τῷ λόγῳ κατὰ τὴν ἑνότητα τῆς ἀξίας, ἤγουν ὡς θείαν ἐνοίκησιν ἐσχηκότος. ἀλλ' ὡς ζωοποιὸν ἀληθῶς, καὶ ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ λό-

γου. Ζωὴ γὰρ ὢν κατὰ φύσιν ὡς Θεὸς, ἐπειδὴ γέγονεν ἓν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σάρκα, ζωοποιὸν ἀπέφηνεν αὐτήν. ὥστε κἂν λέγῃ πρὸς ἡμᾶς· ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα· οὐχ ὡς ἀνθρώπου τοῦ καθ' ἡμᾶς ἑνὸς καὶ αὐτὴν εἶναι λογιζόμεθα· πῶς γὰρ ἡ ἀνθρώπου σὰρξ ζωοποιὸς ἔσται κατὰ φύσιν τὴν ἑαυτῆς; ἀλλ' ὡς ἰδίαν ἀληθῶς γενομένην τοῦ δι' ἡμᾶς καὶ υἱοῦ καὶ ἀνθρώπου γεγονότος τε καὶ χρηματίσαντος. *Necessario etiam hoc producemus; annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, hoc est* JESU CHRISTI, *& ex mortuis resurrectionem, & in cælos ascensionem confitentes, incruentam in Ecclesiis adorationem perficimus: accedimus sic ad mysticas benedictiones, & sanctificamur, participes effecti sanctæ carnis, & pretiosi sanguinis nostri Salvatoris omnium Christi. Nequaquam enim ut carnem communem possidemus: absit hoc: neque ut hominis sanctificati, aut consociati Verbo secundum æqualitatem dignitatis, aut sortiti divinam inhabitationem; sed tanquam vere vivificam & propriam carnem Verbi. Nam cum vita sit ut Deus, secundum naturam; simul atque unum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, mox vivificam virtutem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat:* Amen, amen dico vobis, nisi

Ioan. 6. v. 54.

manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem: *neutiquam tamen illam communem, hoc eſt hominis cujuſpiam noſtræ conditionis carnem eſſe exiſtimare debemus: quomodo enim hominis caro ſecundum ſuam ipſius naturam vivifica eſſe queat? ſed vere illius propriam factam, qui noſtri cauſa filius hominis effectus & appellatus eſt.*

II. Ex his intelligimus luce meridiana clarius, inter ſacrorum ſolennia peractam fuiſſe adorationem incruentam, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν, quæ non potuit aliud reſpicere objectum præter id quo ſanctificamur; quod quidem ipſa eſt caro & pretioſus ſanguis Chriſti Salvatoris, cujus participes efficimur in perceptione ſanctiſſimi Sacramenti.

III. At objectabunt Proteſtantes, in hac Epiſtola S. Cyrilli & Synodi Ægypti, neutiquam legi ἀναίμακτον λατρείαν, ſed θυσίαν: quod nomen *ſacrificium incruentum*, non *adorationem* ſignificat. Sed quis ignorare ſibi perſuadeat homines Proteſtantes, doctiſſimos e ſecta Calviniſtica viros, cum Claudio *de Saintes*, Epiſcopo Ebroicenſi, Eccleſiæ Romanæ defenſore perilluſtri, ſemper λατρείαν, numquam θυσίαν apud Cyrillum legiſſe? Uti perſpectum habemus ex

Repetit. IX. de adorat. Et har. pag. 313.

Isaaci Casauboni Exercitationibus contra Baronium, Exercit. xvi. cap. 57. & ex Thesauro Ecclesiastico Caspari Suiceri, tom. II. pag. 218. & antiquis codicibus MSS. quorum variæ lectiones in marginibus editæ Epistolæ S. Cyrilli leguntur.

IV. Denique quis sibi persuadeat hominem sapientem existimasse, & docuisse carnem in Eucharistia receptam, non esse communem; sed veram & propriam carnem Verbi: ἀλλ' ὡς ζωοποιὸν ἀληθῶς, καὶ ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ λόγου, & eam non adorasse?

CAPUT XII.

Isidorus Pelusiota defunctus IV. *Februarii anno* CCCCXL. *confirmat adorationem Eucharistiæ.*

OMNES quotquot sunt literati homines fatentur libenter, S. Isidorum Ascetam, & illustrissimum S. Chrysostomi discipulum, de Eucharistia mentionem facere Epistola CCCLXIV. libri III. quam ad Diaconem, cui nomen erat Nilamoni, scripsit: qua quidem, postquam locutus est de iis qui suorum criminum horrore instigati a

ſacris myſteriis recedunt, & aliis qui, vanis (ut putant) terroribus poſtpoſitis, ad ea ſacrilegis manibus incredibili temeritate accedere non contremiſcunt; ait haud valde primos diabolum aggredi; quippe cum rebus divinis (hoc eſt, Euchariſtiæ) adorationem exhibere non deſiſtant. διὸ δὴ τοῖς μὲν πρώτοις οὐ πάνυ ἐπιτίθεται ὁ διάβολος, εἰδὼς ὅτι εἰ πταίουσιν, ἀλλ' οὖν γε γινωσκότες τοῖς θείοις τὸ σέβας φυλάττουσι. *Quamobrem etiam primos diabolus haud valde aggreditur; quod ſcilicet exploratum habeat, eos, quamvis peccent, tamen id agnoſcentes, divinis rebus adorationem conſervare.* Defendo enim hoc nomen, σέβας, *adorationem*, ſeu *cultum divinum* ſignificare: uti intelligimus ex Fidei Expoſitione pag. 372. ſub nomine S. Juſtini Martyris, tanti autoris fœtu non indigno. ἀλλ' οὐ κατ' ὀρθὴν ἔννοιαν τὸ σέβας προσαγόντων. *Sed non ſecundum rectam rationem cultum, ſive adorationem præſtantibus.* Et continenti ſermone, ἕνα τοίνυν Θεὸν σέβειν ἡμᾶς αἵτε θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, αἵτε τῶν πατέρων διδασκαλίαι παιδεύουσι. *Unum quidem Deum adorare nos divinæ Scripturæ docent, & Patrum erudiunt inſtitutiones.* Hoc Opus ſaltem antiqui Scriptoris Eccleſiaſtici eſſe, ab ætate S. Iſidori Peluſiotæ non valde alieni, fa-

tentur viri docti; quod quidem Euthymius Zigabenus, Monachus Græcus, qui sub finem imperii Alexii Comneni vixit, & obiit xv. Augusti anno MCXVIII. & Leontius Hierosolymitanus, ipsi Justino adscribere non dubitaverint.

Utcumque res sit, ipsemet S. Justinus Apologia II. pro Christianis pag. 72. sic fatur de Antinoo: ὃν καὶ πάντες ὡς Θεὸν διὰ φόβου σέβειν ὥρμηντο. *quem omnes ut Deum propter timorem adorare cœperunt.* S. Chrysostomus in Expositione Psalmi VIII. pag. 108. tom. III. de Christo ait: Καὶ οὐ Θεός, Θεὸς εἶναι ἐβούλετο, καὶ τὸ τοῦ πατρὸς σέβας εἰς ἑαυτὸν ἐπεσπάσατο. *Et cum Deus non esset, voluisset esse Deus, & Patris adorationem ad se ipsum attraxisset.* Eandem significationem huic vocabulo vendicat S. Clemens Alexandrinus, in Admonitione ad Gentes pag. 19. τὸν Διόνυσον τῆς ὕβρεως σεβάζοντες ἀρχηγόν. *Bacchum adorantes turpitudinis præfectum.* Et Stromatum libro VI. pag. 457. τοῦτον τὸν Θεὸν σέβεσθε, μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας. *Hunc Deum adorate, non secundum Græcos.*

His autem sic constitutis, cui jam homini Græco idiomati tantulum adsueto dubium in mentem incurrere potest, quin S. Isidorus Pelusiota Eucharistiæ adorationem in-

tellexerit? qui insuper ait libro I. Epist. CIX. pag. 34. Christum Dominum in mystica mensa communem panem, incarnationis proprium corpus reddidisse. Ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς μυστικῆς τὸν ἄρτον τὸν κοινὸν, σῶμα ἴδιον τῆς αὐτοῦ σαρκώσεως ἀποφαίνων. *In mystica mensa communem panem corpus proprium suæ incarnationis exhibens.*

CAPUT XIII.

Eucharistiæ adorationem comprobant, Theodoretus Episcopus Cyri anno CCCCLXX. *S. Dionysius, vulgo dictus Areopagita, & S. Cæsarius, defunctus anno* DXLII. 27. *Augusti.*

OMNES difficultates in causa adorationis Eucharistiæ, clara & perspicua dicendi ratione dirimit Theodoretus, Episcopus Cyri, quem ab institutis S. Chrysostomi, cujus discipulus fuerat, & S. Cyrilli Alexandrini, in cujus gratiam, dicto anathemate Nestorio, redierat, alienum fuisse incredibile videtur.

Verum cum in hoc Opere ad tuendam transsubstantiationem, aut, quam vocant,

realitatem corporis Christi in Eucharistia; animum directe non appulerim; ad comparandas solutiones objectionum, quas adversus utramque Calvinianismi defensores ex eo assumere solent, lectores cum bona venia remitto ad Opus divinum de Fidei Perpetuitate, nostra ætate vernaculo sermone conscriptum, tomo II. Et tantummodo defendo, non solum opus, verum etiam necesse esse Theodoretum à fide Ecclesiæ Romanæ hodiernæ alienum non fuisse: quippe cum conceptis verbis adorandam esse Eucharistiam, aperta testificatione significet; ipsissimis opusculis ac lucubrationibus, ex quibus sibi comparant Protestantes objecta, quæ contra transsubstantiationem proferre solent; adeo ut revera viperæ in Theodoreto limam momorderint adsuetam omne ferrum conrodere.

I. Porro sic loquitur Dialogo sub titulo ἀσυγχύτου, hoc est, *Inconfusi*, pag. 86. editionis Jacobi Sirmondi, Jesuitæ doctissimi. Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους· καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ οἷα καὶ πρότερον ἦν· νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα, ἅπερ πιστεύονται. *Manent enim in priore substantia & figura & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius:*

prius: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & ADORANTUR, *ut quæ illa sint quæ creduntur.* Eccam videmus conceptis verbis expressam adorationem; & hæc verba, *manent in priore substantia,* μένει ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, remoram nobis imponere non debent: quippe cum rotunde fateantur doctissimi Protestantes, vocem *substantiæ,* & οὐσίας, apud Patres Græcos non significare propriedictam & veram substantiam, sed rei qualitatem: ut fuse probavit Autor Libri de Perpetuitate Fidei, tomo II. & ex multis exemplis patet, quæ prodidit Minister Calvinista, Autor Responsionis Gallice scriptæ, ad Officium sanctissimi Sacramenti, pagg. 264. & 432. adeo ut ipsis jure merito non abnuentibus Ministris causæ Calvinisticæ patronis, hæc verba Theodoreti: μένει ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. de bonis Græcis possent non deterius scribi Latine, *Manent in priori qualitate & figura & forma.*

II. Sed, ut solent, obloqui non desistent Ministri, & subjicere, verbum προσκυνεῖται, non significare *adorantur;* sed, *in veneratione & reverentia habentur:* ut moris est apud Patres Græcos & Autores prophanos. Sed de hujus verbi significatione superius

dicta amplificare aut iterare non opus eſt. Videtur enim Theodoretus præſenſiſſe, & jam antea animo proſpexiſſe fore ut verbis ſuis ejuſmodi ſenſum affingerent Proteſtantes: quippe cum Dialogo III. cui titulum ſcripſit ἀπαθής, *Impatibilis*, apertiſſime doceat, adorationem Euchariſtiæ, ſeu typo corporis Chriſti exhibitam, non eſſe officioſam, ac creaturis rependi ſolitam venerationem; ſed religioſam, quæ ad Deum ſolum referri ſolet. Hæc ſunt enim verba Orthodoxi pag. 127. Οὐκ ἀνθρώπου σῶμα ψιλοῦ, ἀλλὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. εἰ δὲ τοῦτό σοι νομίζεται μικρόν τε, καὶ εὐτελὲς, πῶς τὸν τούτου γε τύπον σεπτὸν ἡγῇ καὶ σωτήριον; οὗ δὲ ὁ τύπος προσκυνητὸς, καὶ σεβάσμιος, πῶς αὐτὸ τὸ ἀρχέτυπον εὐκαταφρόνητον καὶ μικρὸν; *Non nudi hominis corpus, ſed Domini noſtri* Jesu Christi, *unigeniti Filii Dei. Quod ſi parvum tibi ac vile videtur; quomodo ejus typum venerabilem & ſalutarem exiſtimas? Cujus autem typus venerandus eſt & adorandus, qui poteſt archetypum deſpici & extenuari?* Enimvero quamvis Theodoretus hoc verbo, προσκυνεῖν, & προσκυνητὸς, ſemper utatur ad ſignificandum cultum Deo ſoli exhibendum; uti intelligimus ex Sermone III. Curationum

Græcarum affectionum, pag. 521. in quo appellatur Christus, ὁ παρ' ἡμῖν προσκυνούμενος, καὶ παρ' ὑμῖν ἀγνοούμενος. *qui a nobis adoratur, & a vobis ignoratur.* & ait de Angelis Cherubinis & Seraphinis pag. 522. lit. B. οὐδὲ μερίζομεν εἰς τὸν ὄντα Θεὸν, καὶ τούτους τὴν θείαν προσκύνησιν· *nec in Deum & istos divinam adorationem partimur* : hoc nomen, σεβάσμιος, eo loci addere voluit, quod numquam significat aliud quam cultum & adorationem ad solum Deum relatam, ut jam supra ostendimus; & quo ipse Theodoretus utitur, ut speciatim & nominatim ejusmodi adorationem designet, ac veluti digito monstret, Sermone II. Curationum affectionum Græcarum, pag. 495. καὶ μὴ μερίσαι τὸ σέβας, ἀλλὰ τῷ ὄντι μόνῳ προσνεῖμαι. *& non partiri adorationem, sed soli existenti tribuere.* Et infra eadem pag. lit. D. οὐκ ὄντων δὲ θεῶν ἀπαγορεύει τιμὴν, μόνῳ δὲ τὸ σέβας τῷ τῶν ἁπάντων κελεύει προσφέρειν δημιουργῷ. *Non existentium Deorum honorem prohibuit, soli vero rerum omnium conditori adorationem deferre præcepit.*

Denique confido libenter, a nobis non inventum iri Viros doctos inter homines Calvinistas, qui hoc vocabulo σέβας, præter adorationem divinam quicquam significari

defendant; postquam sententiam nostram tuendam recepit doctissimus, & in investiganda antiquitate incredibiliter laboriosus, Casparus Suicerus, Calvinista Grammaticus, in suo Thesauro Ecclesiastico e Patribus Græcis, tomo II. pag. 942.

III. Ad Theodoretum, habita ratione ætatis qua floruit, adjungere possum Dionysium, Areopagitam vulgo dictum. Enimvero cum ejus Opera citata occurrant in Collatione Severianorum & Catholicorum, tempore Imperatoris Justiniani habita anno Christi DXXXII. cujus acta habentur II. tomo Conciliorum Binii anni MDCXVIII. ea ætate scripta jure merito videntur: cum præsertim antea nullibi eorum facta mentio in manus Hominum eruditorum incurrat. At vero ex iis sanctissimum Sacramentum invocatum a fidelibus, adeoque adoratum intelligimus, Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. III. pag. 286. editionis Antuerp. anni Christi MDCXXXIV. Ἀλλ' ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη, τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον. *Sed tu, o divinissimum & sacrosanctum Sacramentum, circumposita tibi symbolice*

ænigmatum operimenta revelans, liquido nobis manifesteris, mentalesque nostros obtutus singulari & aperta luce adimpleto. Eo tempore jam usu receptam extrinsecus adorationem cognoscimus, & consecratæ hostiæ ostensionem, eodem cap. pag. 296. ἔπειτα τοῖς θείοις ὁ ἱεράρχης ἑνοῦται, καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα. *Pontifex divinis conjungitur, sanctisque Dei operibus laudatis, divinissima consecrat mysteria, & in aspectum ducit quæ celebravit.*

Denique cognitissimam habemus apud Græcos in hac adoratione Eucharistiæ perseverantiam usque ad ætatem Michaëlis Palæologi, scilicet annum Christi MCCCXL. quo vixit Georgius Pachymeres, autor Paraphrasis Operum S. Dionysii, qua explicans hæc verba cap. III. de Hierarchia: Ἀλλ' ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή· sic fatur: ὡς ἐμψύχῳ γὰρ αὐτῇ διαλέγεται, καὶ εἰκότως, καθὰ καὶ ὁ θεολόγος μέγας Γρηγόριος, Ἀλλ' ὦ πάσχα τὸ μέγα καὶ ἱερόν· τὸ ἡμέτερον γὰρ πάσχα, καὶ ἡ τοιαύτη ἱερὰ τελετὴ, αὐτός ἐστιν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, πρὸς ὃν ποιεῖται τὸν λόγον ὁ ἅγιος, ἵνα ἀποκαλύψῃ τὰ ἀμφιέσματα, καὶ ἀποπληρώσῃ τοῦ ἑνιαίου φωτός. *Ipsum enim tanquam animatum alloquitur; idque merito, cum*

Orat. XLII. pag. 696.

etiam Theologus magnus ille Gregorius dicat: Sed o Pascha magnum & sanctum; nostrum enim Pascha, uti & hoc Sacramentum, ipsemet Dominus noster JESUS CHRISTUS *est, ad quem hic Sanctus sermonem habet, ut revelet involucra, unicoque lumine mentem impleat.*

Sed, inquit Larroquius superstitionis Calvinianæ Minister libri III. Historiæ » Eucharistiæ cap. IV. pag. 548. satis patet, » Pachymerem non existimare hæc verba S. » Gregorii ad Christum præsentem spectasse, » quem sic interpretatur Nicetas numero » LXIX. in suis ad Orationem XLII. S. Gre- » gorii Commentariis: *Hæc verba, O Pascha* » *magnum, ad festum ipsum perinde ac vita præ-* » *ditum refert.* Sed perperam ejusmodi locum Nicetæ truncum ac mutilum profert Minister, qui ex continuo sermone ejusdem Commentarii faciliter intellexit, continentia verba S. Gregorii ad Christum verum & præsentem dirigi: *Illa autem, O Verbum Dei, quæ deinceps sequuntur, ad Christum spiritale Pascha per acclamationem dirigit.* Igitur luce meridiana clarius constat, & Pachymerem interpretem Dionysii, & Nicetam Gregorii, non dubitasse quin eo loci S. Gregorius spiritale Pascha allocutus sit, sive Christum Dominum, verum Dei Verbum; adeoque

quin ipsummet Dominum Dionysius in Eucharistia invocaverit, rogaverit.

IV. Conformationem Occidentis cum Oriente nobis demonstrat Homilia VII. de Pascha, relata tomo V. Bibliothecæ Patrum, parte III. pag. 751. editionis MDCXVIII. S. Cæsarius, Arelatensis Episcopus, his verbis: *Et ita cum reverendum altare cibis satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximo haustu interiori assume.* Hanc Homiliam Eusebio Emisseno adscripserunt Gagnæus, Theologus Parisiensis, Universitatis ejusdem Cancellarius, in editione Operum Eusebii, anno MDXLVII. Claudius Espencæus, Theologus etiam Parisiensis, libro I. Operis posthumi de Adoratione Eucharistiæ, pag. 1070. post Gratianum, Decreti part. III. dist. II. can. 35. *Quia corpus.* At vero quid significat verbum, *adorare*, nisi sacrum Dei corpus & sanguinem honore mirari; & quidem in Eucharistia, cum reverendum altare cibis satiandi ascendimus?

CAPUT XIV.

Argumentum assumptum ex Liturgia Joannis II. Archiepiscopi Constantinopolitani, defuncti anno Christi DXCVI. *& ex S. Joanne Climaco, qui obiit anno* DCV. *die Martii* XXX.

I. JOANNI II. ducentis post S. Chrysostomum annis demortuo adscribere non pertimesco Liturgiam inter Opera S. Chrysostomi relatam, & ex antiquis Codicibus MSS. sub ejus nomine sæpius expressam. Nam etiamsi ab eo primam originem ducat, fateri necesse est, eo quo habemus modo a Joanne II. efformatam fuisse: quippe cum Trisagium in ea habeatur, XL. annis post mortem Chrysostomi institutum, anno Christi scilicet CCCCXLVI. & Oratio *pro patre nostro spirituali, qui Sacerdos & Monachus est*, ἱερομονάζοντος: quod quidem solitario Joanni II. competere posse videtur; neutiquam vero S. Chrysostomo, qui numquam vitam monasticam duxerat; sed ex Presbytero & Concionatore Ecclesiæ Antiochenæ, Constantinopolitanæ Pontifex creatus fuerat.

Porro doctiores Calvinistæ de hujus Liturgiæ antiquitate, eo capite quo præsertim spectat consecrationem, numquam dubitarunt. Hugo Grotius *in Voto pro Pace*, pag. 88. de Missa, in quo sic ait: *Consensus Liturgiarum per omnia loca ac tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum suum sanctificet, eaque faciat corpus & sanguinem Christi, me dubitare non sinit venire hoc a prima Apostolorum institutione. In novis autem Liturgiis*, scilicet Calvinistarum, *eas non invenio: unde & quorsum hæc mutatio?* Et Perronius, Ferrerius, & Milleterius, ejusmodi Liturgiarum antiquitate convicti, ad fidem Catholicam reversi: quæ quidem in hoc capite consecrationis & adorationis, per omnes universi orbis partes congruebant, temporibus S. Cyrilli Hierosolymitani, S. Augustini, S. Chrysostomi, S. Basilii Magni, Joannis II. Constantinopolitani, ac S. Gregorii Magni; & quas esse antiquissimas existimant Erasmus, & omnes fere partium Protestantium & Catholicarum Critici.

II. Prima fronte sese offert Oratio Sacerdotalis ad Christum in Eucharistia existentem, quæ quidem divinæ adorationis expers reputari non potest. Pag. 103. edi-

tionis Græcæ Guillelmi Morelli, Parisiis anno MDLX. καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς, ὁ ἄνω τῷ πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών. *Et veni sanctificare nos, qui supra cum Patre sedes, & hic nobiscum invisibiliter ades.* Rogat enim tam vere nobiscum existentem, quam cum Patre in cælis sedentem. Quamobrem cum fide divina planissime constet Christum Dominum sedere ad dexteram Patris, nullus dubitandi locus relinquitur, quin vere, licet *invisibiliter*, nobiscum in Eucharistia adsit.

III. Adeo verum est tunc temporis adoratam fuisse Eucharistiam, ut ex ritu Liturgiæ præscriptum sit tempus quo Sacerdos, Diaconus, & universa plebs adorare debebant. Pag. eadem, in qua post prædictam Orationem scriptum legimus: εἶτα προσκυνεῖ ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ διάκονος ἐν ᾧ ἐστι τόπῳ, λέγοντες μυστικῶς τρίς, ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. *Deinde* ADORAT *Sacerdos & Diaconus qui est in loco, dicens mystice ter: Deus, propitius esto mihi peccatori.* καὶ ὁ λαὸς ὁμοίως πάντες μετ' εὐλαβείας προσκυνοῦσιν. *Et populus similiter omnes cum religiosa reverentia adorant.* Fere eadem occurrunt in Liturgia S. Basilii, pag. 58. ὁ διάκονος ἀποτίθησι τὸ ῥιπίδιον ὅπερ ἐκράτει, ἢ κάλυμμα, καὶ ἔρχεται

ἐγγύτερον, κỳ προσκυνοῦσιν ἀμφοτέροι τρὶς ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας τραπέζης, κỳ εὐχόμενοι καθ' ἑαυτοὺς τό. *Diaconus apponit flabellum quod tenebat, seu velamen, & accedit propius, & adorant ambo ter coram sancta mensa, & orantes simul hoc :* ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Similiter & in antiqua Liturgia sub nomine S. Jacobi.

IV. His ritibus adorationis Eucharistiæ ab universa Ecclesia sua ætate receptis, S. Joannes Climacus ex adoratione probat, cogitationes blasphemiæ, quibus aliquando fideles vehementer conflictantur, dum sacra mysteria celebrantur, instigante diabolo exsurgere. At vero divini cultus Eucharistiæ testis omni exceptione major inveniri non potest ipso S. Joanne, summo in regimine animarum, & ascetica vita magistro, qui peractis in solitudine Sinaï annis sexaginta, vitam ad annum quintum & octuagesimum perduxit pœnitentiæ vepribus ac salebris hispidam. Porro sic mentem suam explicat Scalæ Paradisi gradu XXIII. *de inexplicabilibus blasphemiæ cogitationibus,* pag. 298. edit. Paris. perfectæ curâ & studio P. Matthæi Raderi, Jesuitæ doctissimi. ὅθεν μάλιστα κỳ μανθάνομεν σαφῶς μὴ εἶναι τὴν

ἡμετέραν ψυχὴν τὴν τὰ ἄθεσμα, καὶ ἀκατάληπτα ἐκεῖνα, καὶ ἄρρητα λόγια ἔνδοθεν φθεγξαμένην· ἀλλὰ τὸν μισόθεον δαίμονα τὸν ἐκ τῶν οὐρανῶν δραπετεύσαντα, διὰ τὸ κἀκεῖ τὸν Κύριον βλασφημίας πρὸς δοκεῖν βαλεῖν. εἰ γὰρ ἐμοὶ οἱ ἄσεμνοι ἐκεῖνοι καὶ ἀπρεπεῖς λόγοι, πῶς τὸ δῶρον δεξάμενος προσκυνῶ; πῶς λοιδορεῖν καὶ εὐλογεῖν δύναμαι; *Unde plane intelligimus illa infanda & incomprehensa & impia cogitationum maledicta in Deum, non ab anima nostra, sed ab hoste Dei dæmone e cælo profugo, ubi quoque Deum diris execrationibus visus est incessisse, proficisci. Si enim fœda & indecora mentis verba mea sunt, quomodo dum cæleste illud donum sumo,* SUPPLEX ADORO? *quomodo simul possum eidem & male & bene dicere?* Quis jam neget Christum in Eucharistia adorari? quid ergo significant hæc verba, πῶς τὸ δῶρον δεξάμενος προσκυνῶ;

CAPUT XV.

Argumentum ex Operibus Leontii Constantinopolitani assumptum, qui floruit ab anno Christi DXCI. *ad* DCVIII. *ex Chronico Alexandrino, Anastasio Sinaïta, S. Germano Constantinopolitano, & S. Joanne Damasceno.*

I. ACCEPTA referre debemus Opera Leontii Scholastici, doctissimo Jurisconsulto Henrico Canisio; quæ quidem ex codicibus MSS. antiquissimis Francisci Turriani Jesuitæ cum cura & studio primus expressit, & memoriam Leontii ab accusatione criminis Origenismi invictissime vindicavit. Præterea intelligimus ex Compendio Vitæ hujus Patris quam scripsit, Scholasticum significare Advocatum, juxta sententiam Leunclavii: hanc enim professionem coluerat, antequam animum a negotiis sevocaret, & in novam Lauram S. Sabæ in Palæstina secederet. Porro de variis Hæreticorum sectis, ac Concilio Calchedonensi decem capita scripsit, quæ *actiones* appellavit. Cum vero actione v. referat

catalogum Episcoporum Alexandrinorum, quem usque ad S. Eulogium protraxit, qui floruit ab anno DLXXXI. usque ad DCVIII. Leontium circa finem sexti sæculi scripsisse arbitramur. Ejus Opera occurrunt tom. VI. Bibliothecæ Patrum anni MDCXVIII.

II. Sic fatur libro III. contra Nestorium & Eutychetem pag. 484. *Atque hæc quidem impius Theodorus rabie in magnum Deum & Salvatorem nostrum* JESUM CHRISTUM *percitus blasphemare scripsit, dicens alium esse Deum Verbum, & alium* JESUM CHRISTUM; *illum beneficio afficientem, hunc beneficio affectum; illum salvum facientem, hunc salvum factum. Qui autem hæc dicit, manifesto negat salutem per Christum allatam. Qui enim ab alio beneficium accipit, id est, qui factus est salvus; quomodo poterit alios salvos facere? Qui hæc sentiunt, cujus corpus & sanguinem se putant in communione sumere, ejus qui beneficium contulit, an qui beneficium accepit? Si Dei Verbi beneficium conferentis, quomodo hoc dicunt, & non confitentur eum incarnatum esse? Si vero beneficium accipientis, inanis est eorum spes; anthropolatriam profitentes, & qui in homine spem collocant, maledicti sunt: qui coluerunt & servierunt creaturæ præter Creatorem qui*

est benedictus in sæcula. Amen.

At revera ejusmodi ratiocinatio Leontii supervacanea est, & penitus corruit, nisi tunc temporis constans ac fide certum fuerit apud omnes, carnem & sanguinem Christi cum divinitate in Eucharistia percipi, & debere adorari. Enimvero si sibi persuasissent fideles in eo Sacramento panem tantummodo percipi, aut figuram ac signum Christi carne ac sanguine vacuum, facile erat respondere, *nec carnem benefacti, neque benefacientis* percipi, sed solitarium panem; adeoque in eo Sacramento nihil adorari, & hac arte accusationem criminis anthropolatriæ amoliri. Sed econtra valde credibile est, ejusmodi argumenti vi convictum Theodorum Mopsuestenum totum ordinem Liturgiæ invertisse, atque expunctis precibus Deo offerri solitis, blasphemiis suis impudenter explevisse. Hoc enim opus Antichristi, quod quidem congruentius in Calvinistas transferri necesse est, qui non solum ordinem Missæ immutarunt, sed integrum sustulerunt, intelligimus ex lib. II. contra Nestorium & Eutychetem numero XVIII. pag. 477. *Aliam etiam Missam effutivit,* scilicet Theodorus Mopsuestenus, *præter illam Apostolorum, atque illam magni Basilii*

in eodem ſpiritu conſcriptam; in qua Miſſa blaſphemiis, non precationibus, τὴν τελετὴν, *id eſt, myſterium Euchariſtiæ, opplevit. An ut alius Antichriſtus adhuc expectetur par eſt, qui ſic Chriſtum oderit, & quæ Chriſti ſunt, mutare nitatur?*

III. Autor Chronici Alexandrini, quem anno DCXL. floruiſſe putat Gerardus Joannes Voſſius libri II. de Hiſtoricis Græcis cap. XXIII. pag. 277. propitium fert adorationi Euchariſtiæ teſtimonium, mentione facta Liturgiæ Præſanctificatorum, Olympiade CCCXLVIII. anno V. cum ait quod ſub Sergio Patriarcha Conſtantinopolitano, a prima hebdomade Quadrageſimæ, Indictione IV. dum præſanctificata dona e ſacrario ad altare inferuntur, & Sacerdos dicit, κατὰ τὴν δωρεὰν τοῦ Χριστοῦ, *juxta donum Chriſti*, cœptum eſt pſalli à populo: *νῦν αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σὺν ἡμῖν ἀοράτως λατρεύουσι. ἰδοὺ γὰρ εἰσπορεύεται ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης, ἰδοὺ θυσία μυστικὴ τετελειωμένη δορυφορεῖται. πίστει καὶ φόβῳ προσέλθωμεν, ἵνα μέτοχοι ζωῆς αἰωνίου γενώμεθα. ἀλληλεία. Nunc Virtutes cælorum nobiſcum inviſibiliter adorant Deum. Ecce enim ingreditur Rex gloriæ, ecce ſacrificium myſticum offertur. Cum fide & tremore accedamus, ut vitæ ſimus participes*

participes æternæ. Alleluia.

IV. Ante Chronicon Alexandrinum eadem fere testificatus erat Anastasius Sinaïta tempore Justiniani Imperatoris anno Christi DXL. Oratione *de sacra Synaxi*, quam ex codicibus MSS. Regis Christianissimi expressit R. P. Franciscus Combefis, Ordinis S. Dominici doctissimus Theologus, tomo I. Novi Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum pag. 895. litt. C. D. τί ποιεῖς, ἄνθρωπε; ἀγγέλων λειτουργούντων· ἑξαπτερύγων τὴν μυστικὴν τράπεζαν καλυπτόντων· τῶν Χερουβὶμ περιϊσταμένων· καὶ τὸν τρισάγιον ὕμνον λαμπρᾷ τῇ φωνῇ κεκραγότων τῶν Σεραφίμ· μετ᾽ εὐλαβείας κεκυφότος τοῦ ἱερέως, καὶ ὑπὲρ σοῦ ἐξιλεουμένου· πάντων φόβῳ καὶ τρόμῳ διακονουμένων, &c. *Quid agis, o homo? Dum Angeli ministerio defunguntur: senis illi alis præditi mysticam mensam obvelant: dum Cherubim circumstant: ac Seraphim Trisagium hymnum clara voce clamant: dum Sacerdos reverenter inclinat, ac Dei tibi misericordiam conciliat: omnibus interea timore ac tremore ministrantibus.*

V. S. Germanus propter virtutis sublimitatem ab Archiepiscopatu Cyziceno ad Constantinopolitanum translatus anno Christi DCCXV. quo se sponte abdicavit, ætatis centesimo, vestigia veterum Patrum

Græcorum de adoratione Euchariſtiæ inſecutus, ait in Theoria myſtica: τὸ δὲ ὑψῶσαι τὸν ἱερέα τὸν θεῖον ἄρτον, καὶ τύπον σαυρὸν τρὶς ποιῆσαι ἐν τῷ ἀέρι μετὰ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ ἄρτου, τοῦτο αἰνίττεται. *Quod autem Sacerdos panem attollit, & ſignum crucis ter facit in aëre cum adorando & vivifico pane, hoc ſignificat.* Sic enim verti de Græcis, & Latine ſcribi debere defendo hæc verba, μετὰ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ ἄρτου: ut jam ſupra obſervavimus capite v. & infra oſtenſuri ſumus libri II. capite IV. repagula intercluſuri, quibus hujus loci vim conatur ſubterfugere Dallæus Charentonii templi Miniſter, lib. II. de religioſi Cultus objecto.

VI. Sequitur S. Joannes Damaſcenus, in Syria Monachus & Preſbyter, qui ſuum nomen mirabiliter illuſtravit in tuenda traditione Eccleſiæ pro ſacris imaginibus adverſus Imperatorem Leonem Iſaurum, anno præſertim DCCXXVII. & deinceps adverſus Conſtantinum Copronymum anno DCCLIV. qui coactis ſibi addictis Epiſcopis aulicis, eidem ſub nomine Joannis *Manſur*, hoc eſt, *Saraceni*, S. Germano Conſtantinopolitano, & Georgio Cyprio Antiochiæ Piſidiæ Archiepiſcopo pœnam bruti anathematis impoſuit.

Hic vero Joannes Damascenus tam conceptis verbis sua ætate factam Eucharistiæ adorationem attestatur, ut a nemine homine explanatius aut uberius significari possit. Libro IV. de Fide orthodoxa, cap. XIV. *de sanctis & immaculatis Christi mysteriis*, pagg. 459. & 460. litt. D. & A. *Nec vero panis & vinum corporis Christi figura sunt, (absit enim hoc) verum ipsummet Domini corpus divinitate affectum: quippe cum Dominus ipse dixerit, Hoc est, non, corporis signum, sed, corpus; nec, sanguinis signum, sed, sanguis. Et prius adhuc, ad Judæos sermonem habens, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus. Ac rursus, Qui manducat me, vivet.* Ex his vero ita subjectis etiam conclusionem assumpsit, quæ internam & externam adorationem corpori Christi in Eucharistia eo tempore exhibitam demonstrat. *Ac proinde summo cum metu, & pura conscientia, fideque haudquaquam dubia accedamus: ac profecto sic nobis fiet, quemadmodum firme & constanter credimus. Ipsum porro omni puritate colamus, hoc est, & spirituali & corporea: siquidem duplex ipse est. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis*

Ioan. VI. v. 54.

formam compositis crucifixi corpus suscipiamus, atque & oculis & labiis, & frontibus impositis, divini carbonis participes efficiamur, ut ignis desiderii in nobis insiti, assumpta ea, quæ ex carbone oritur, inflammatione, peccata nostra exurat, ac pectora nostra collustret: demusque operam, ut per divini ignis perceptionem inardescamus.

VII. Ad Joannis Damasceni sententiam aggregare possum Scriptorem Vitæ S. Stephani Junioris, cum Operibus ejus compactæ studio doctiss. Jacobi Billii Abbatis S. Michaëlis in Eremo, pag. 805. lit. C. in qua Stephani ori hunc sermonem Autor inducit adversus Constantinum Copronymum: *Quid? an tu quoque corporis & sanguinis Christi antitypa ab Ecclesia proscribes, ut quæ imaginem ac veram illorum figuram teneant? quæ & adoramus & osculamur, & eorum perceptione sanctitatem consequimur.* Supervacaneum esset respondere, spectatam intelligi eo loci adorationem tantummodo relativam: quippe cum ea ætate S. Joannes Damascenus adorationem relativam imaginum ex adoratione absoluta Verbi divini concludat, eamque nervose defendat Orat. III. de Imaginibus pag. 763. lit. A. *Si non adoras imaginem, ne Filium quidem adora, qui est imago viva Dei invisibilis.*

V

CAPUT XVI.

Argumentum ex Concilio Nicano II. assumptum, celebrato anno DCCLXXXVII. *B. Alcuino, & ex Concilio Cabilonensi, anno* DCCCXCIV.

I. EX Concilii Nicæni actione VI. intelligimus, Iconomachos in eo condemnatos sub Imperio Constantini & matris Irenes, de adoratione Eucharistiæ non dubitasse: idque potissime ex verbis Episcoporum pseudo-synodi Constantinopolitanæ, tribus & triginta annis antea celebratæ sub Constantino Copronymo, quæ Gregorius Episcopus legit. Εὐφρανθήτωσαν, καὶ ἀγαλλιάσθωσαν, καὶ παῤῥησιαζέσθωσαν οἱ τὴν ἀληθῆ τοῦ Χριστοῦ εἰκόνα εἰλικρινεστάτῃ ψυχῇ ποιοῦντες καὶ ποθοῦντες, καὶ σεβόμενοι, καὶ εἰς σωτηρίαν ψυχῆς καὶ σώματος προσφερόμενοι. *Lætentur & exultent, & fiducialiter agant hi qui verám Christi imaginem sincerissima anima faciunt, & desiderant, &* ADORANT, *& in salutem animæ & corporis offerunt.* Ex relatione continenti, cum Epiphanius Diaconus ejusmodi verborum refutationem legit, perspectum habemus, in hoc adorationis Eucharistiæ capite cum

Iconomachis conveniſſe univerſam Eccleſiam; quippe cum non dubitet eam ſuo complexu continere revera corpus Chriſti, nec vocari ſimplicem imaginem toleranter ferat, quam typum Veteres quidam ſolummodo ante panis & vini conſecrationem appellarunt. ὅτι οὐδαμοῦ οὔτε ὁ Κύριος, οὔτε οἱ ἀπόστολοι, ἢ πατέρες εἰκόνα εἶπον τὴν διὰ τοῦ ἱερέως προσφερομένην ἀναίμακτον θυσίαν, ἀλλὰ αὐτὸ σῶμα καὶ αὐτὸ αἷμα. *Quod nuſquam Dominus vel Apoſtoli vel Patres imaginem dixerunt ſacrificium ſine ſanguine, quod per Sacerdotem offertur, ſed ipſum corpus, & ipſum ſanguinem.* καὶ πρὸ μὲν τῆς τοῦ ἁγιασμοῦ τελειώσεως, ἀντίτυπά τισι τῶν ἁγίων πατέρων εὐσεβῶς ἔδοξεν ὀνομάζεσθαι. *Et ante ſanctificationis perfectionem, antitypa quibuſdam ſanctorum Patrum pie viſum eſt appellare.* Et paulo inferius pag. 643. tom. IV. Concil. Binii, anni MDCXVIII. ὡς πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι, ἐκλήθη ἀντίτυπα· μετὰ δὲ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίως καὶ αἷμα Χριστοῦ λέγονται, καί εἰσι, καὶ πιστεύονται. *Antequam ſanctificata fuerint, vocantur antitypa: poſt ſanctificationem autem, corpus proprie & ſanguis Chriſti dicuntur, ſunt & creduntur.*

II. B. Alcuinus Diaconus, & Abbas S. Martini Turonenſis, non minori conſi-

deratione reputandum in gratiam adorationis Euchariſtiæ teſtimonium profert Epiſtola VI. ad Carolum Magnum. *Vidimus*, inquit, *aliquibus in locis altaria Dei abſque tecto, avium ſtercoribus, vel canum mictu fœdata. Quod facile veſtra veneranda in Deum voluntas per Epiſcopos emendare valet, ut cum honore condigno maneat menſa Domini in loco ſuo, vel portetur in Eccleſiam majorem ſecundum Sacerdotum providentiam, & honorifice tractetur, ſeu altare Chriſti, ſeu conſecratio corporis & ſanguinis illius, & præcipuum noſtræ ſalutis Sacramentum omni veneratione conſecretur, habeatur & cuſtodiatur.* Quid eſt enim, præcipuum noſtræ ſalutis Sacramentum conſecrari, haberi & cuſtodiri, niſi, adorari? Eandem veritatem confirmat in Confeſſione Fidei parte IV. (quam ipſi invictiſſime vindicavit R. P. Joannes Mabillonius, Congregationis S. Mauri Monachus literatiſſimus, Analectorum ſacrorum tom. I.) in qua ſic ait pag. 119. edit. R. P. Franciſci Chiffletii Jeſuitæ, anni MDCLVI. *Accede reverenter, & cum tremore, quia non aliud, ſed Chriſtus datur ad manducandum.* Quis enim dubitet tremorem & reverentiam Chriſto debitam, eſſe ipſam adorationem?

III. Luculentum adhuc in fine hujus

sæculi nobis suppetit testimonium, tempore Formosi Papæ, anno 11. Regni Caroli Simplicis Franciæ Regis, ex Concilio Cabilonensi, in quo Monachus, nomine Gerfredus, Abbatiæ Flaviniacensis, accusatus crimine sublati veneno Adalgarii Episcopi Æduensis, ad purgationem criminis per corpus Christi ex consuetudine ea ætate recepta admissus fuit. Intelligimus enim ex Relatione de hac probatione conscripta, cui tres Episcopi, scilicet Cabilonensis, Matisconensis, & Æduensis, subscripserunt, prædictum Monachum invocatione speciali Deum quem in Eucharistia recepturus erat, testem ac judicem adhibuisse: quod sine adoratione factum fuisse incogitabile videtur. *Inde igitur pastor piissimus*, scilicet Gualo, *misericordia motus, illius causa apud Flaviniacum cœnobium & castrum publicum sanctam Synodum propriæ Ecclesiæ colligens, juxta statuta prædictorum Antistitum, Missarum solemniis deductis, omnibus qui adfuere in primore Ecclesia S. Petri collectis, jam supra fatum præmonuit virum, ut sicut sibi ipsi conscientia dictaret, ad sacra sumenda, aut etiam refugienda, quoquo vellet modo seipsum præfigeret. Quique in nullo hæsitans, Deum sibi, & ipsum quod percepturus erat, redemptionis pretium*

in testimonium & judicium invocans, fidissime, omnibus in prospectu positis, quæ supra fuerant præfixa, votis omnibus peregit. Actum authenticum hujusce Relationis habemus tom. III. Concil. Galliæ, R. P. Jacobi Sirmondi Jesuitæ, pag. 533. cujus fidem Protestantes eruditi, grati ac memores editi Facundi Hermianensis, in suspicione non ponunt.

CAPUT XVII.

Adorationem Eucharistiæ per manus a majoribus sibi traditam defendunt B. Lucas Asceta, decimo sæculo; Algerus, & Petrus Venerabilis, qui duodecimo floruerunt.

I. VITAM B. Lucæ Ascetæ, qui sæculo X. floruit, publici juris fecit R. P. Franciscus Combefis, Ordinis S. Dominici magnum decus & ornamentum, ad calcem Historiæ Monothelitarum: ex qua intelligimus omnibus numeris absolutum percipiendæ Eucharistiæ ritum eo tempore in Ecclesia Corinthiorum extrinsecus peractum. Cum enim ab Archiepiscopo Corinthi beatus Asceta consilium petiisset de

ſæculi nobis ſuppetit teſti monium, tempore Formoſi Papæ, anno 11. Regni Caroli Simplicis Franciæ Regis, ex Concilio Cabilonenſi, in quo Monachus, nomine Gerfredus, Abbatiæ Flaviniacenſis, accuſatus crimine ſublati veneno Adalgarii Epiſcopi Æduenſis, ad purgationem criminis per corpus Chriſti ex conſuetudine ea ætate recepta admiſſus fuit. Intelligimus enim ex Relatione de hac probatione conſcripta, cui tres Epiſcopi, ſcilicet Cabilonenſis, Matiſconenſis, & Æduenſis, ſubſcripſerunt, prædictum Monachum invocatione ſpeciali Deum quem in Euchariſtia recepturus erat, teſtem ac judicem adhibuiſſe: quod ſine adoratione factum fuiſſe incogitabile videtur. *Inde igitur paſtor piiſſimus*, ſcilicet Gualo, *miſericordia motus, illius cauſa apud Flaviniacum cœnobium & caſtrum publicum ſanctam Synodum propriæ Eccleſiæ colligens, juxta ſtatuta prædictorum Antiſtitum, Miſſarum ſolemniis deductis, omnibus qui adfuere in primore Eccleſia S. Petri collectis, jam ſupra fatum præmonuit virum, ut ſicut ſibi ipſi conſcientia dictaret, ad ſacra ſumenda, aut etiam refugienda, quoquo vellet modo ſeipſum præfigeret. Quique in nullo hæſitans, Deum ſibi, & ipſum quod percepturus erat, redemptionis pretium*

in testimonium & judicium invocans, fidissime, omnibus in prospectu positis, quæ supra fuerant præfixa, votis omnibus peregit. Actum authenticum hujusce Relationis habemus tom. III. Concil. Galliæ, R. P. Jacobi Sirmondi Jesuitæ, pag. 533. cujus fidem Protestantes eruditi, grati ac memores editi Facundi Hermianensis, in suspicione non ponunt.

CAPUT XVII.

Adorationem Eucharistiæ per manus a majoribus sibi traditam defendunt B. Lucas Asceta, decimo sæculo; Algerus, & Petrus Venerabilis, qui duodecimo floruerunt.

I. VITAM B. Lucæ Ascetæ, qui sæculo X. floruit, publici juris fecit R. P. Franciscus Combefis, Ordinis S. Dominici magnum decus & ornamentum, ad calcem Historiæ Monothelitarum: ex qua intelligimus omnibus numeris absolutum percipiendæ Eucharistiæ ritum eo tempore in Ecclesia Corinthiorum extrinsecus peractum. Cum enim ab Archiepiscopo Corinthi beatus Asceta consilium petiisset de

ratione percipiendæ Euchariſtiæ in ſolitudine, hoc reſponſum accepit relatum pag. 986. litt. D. & E. *δεῖ τοιγαροῦν προηγουμένως μὲν παρεῖναι τὸν ἱερέα. ἐκείνου δὲ κατὰ πᾶσαν ἀνάγκην ἀπόντος, ἐπὶ τῆς ἁγίας τραπέζης τιθέναι τὸ τῶν προηγιασμένων τὸ σκεῦος, ἐὰν εὐκτήριον ᾖ· εἰ δὲ κελλίον, ἐπὶ σκάμνου τοῦ καθαρωτάτου. εἶτα καλυμμάτιον ἐφαπλώσας, ἐν αὐτῷ προθήσεις τὰς ἁγίας μερίδας· καὶ θυμίαμα καύσας, τοὺς τῶν τυπικῶν ψαλμοὺς, ἢ τὸ τρισάγιον ἐπάσεις, μετὰ τοῦ συμβόλου τῆς πίστεως· καὶ τρὶς τὸ γόνυ κλίνας· τὰς μὲν χεῖρας συστελεῖς· μεθέξεις δὲ στόματι τοῦ τιμίου σώματος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, λέγων τὸ, ἀμήν· ἀντὶ δὲ νάματος, ποτήριον οἴνου πιῇ. τὸ μέν τοι ποτήριον εἰς χρείαν ἕτερον τὸ μετὰ ταῦτα, οὐ κοινωθήσεται. αὖθις δὲ τῷ καλυμματίῳ τὰς ἐπιλλίποις συστελεῖς μερίδας ἐν τῷ σκεύει, πᾶσαν εἰσφέρων ἀσφάλειαν, ὥστε μὴ ἐκπεσεῖν μαργαρίτην, καὶ καταπατηθῆναι.* *Oportet itaque præcipue adeſſe Sacerdotem, illo vero ex omni neceſſitate abſente, apponere ſuper ſancta menſa præſanctificatorum vaſculum; ſiquidem eſt oratorium: ſi vero cella, ſuper ſcamno puriſſimo. Deinde velum explicans, in eo appones ſanctas particulas, & thus accendens, cantabis Pſalmos Typicorum, & Triſagium cum Symbolo Fidei, & ter genua flectens: manus involves, percipies vero ore pretioſum corpus Chriſti Dei noſtri,*

dicens, Amen: pro liquore vero calicem vini bibes: quo calice ad alios usus communes non uteris. Rursum vero reliquas particulas velo colliges in vase, omnem adferens diligentiam, ut margarita non decidat, neque conculcetur.

II. Quis vero jam dubitare possit, hoc thymiama accensum, Trisagium & Psalmos decantatos, trinam genuflexionem in conspectu Eucharistiæ, singularem curam ac diligentiam in servandis sacri panis particulis, esse notas sensibus subjectas, & argumenta invictissima adorationis corporis Christi? Libro II. ostensuri sumus, Dallæum Ministrum superstitionis Calvinianæ solertissimum, ex ætate nostra peragi adsuetis genuflexionibus argumentum assumpsisse ad comprobandam novitatem cultus divini & adorationis Eucharistiæ exhibitæ. Quamobrem cum ejusmodi genuflexiones sæculo decimo confestim peractas videamus, & consulto ab Archiepiscopo Corinthi explicatas; nullus dubitandi locus relinquitur Protestantibus, quin ea ætate Fideles adorationem Eucharistiæ per manus a majoribus sibi traditam peregerint, nondum nato Berengario, aut audito illius nomine.

III. Porro nihil magis ab institutis ejus-

modi hominis opiniosi alienum esse poterat constanti & recepta in Oriente traditione, quam intelligimus ex versione Latina libri de Vitis Patrum, ad quam incubuerat anno Christi DXXXV. Pelagius Papa, cum adhuc Pontificum Agapeti, Silverii, & Vigilii, Nuncii vices in minoribus constitutus Constantinopoli expleret. Hunc librum recenset Photius in sua Bibliotheca, & Autographum Græcum publici juris fecit doctissimus Socius Sorbonicus Joannes Baptista Cottelerius, tomo I. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, sub titulo ἀποφθεγμάτων τῶν ἁγίων γερόντων, *Apophthegmatum sanctorum Senum:* ex quo perspectam habemus stupendam venerandi Senis historiam infra libri II. capite V. integre descriptam, qui horribili miraculo perculsus, ad meliorem frugem reversus, hanc opinionem qua cerebrum turbaverat, reliquit: οὐκ ἔστι φύσει ὁ ἄρτος ὃν λαμβάνομεν, σῶμα Χριστοῦ, ἀλλ' ἀντίτυπον. *quod non est revera panis quem sumimus, corpus Christi, sed figura.* Verumenimvero cum non solum incredibile, verumetiam incogitabile videatur, Opere Paschasii Ratberti Abbatis Corbeiensis, hominis in Oriente ignoti, jam inclinato nono sæculo, anno scilicet DCCCLI. die Aprilis XXVI.

demortui, mutatam fuiſſe Orientalium de Euchariſtia fidem ac doctrinam: eandem mutationem ſenſim ſine ſenſu in Occidente contigiſſe, opinioſi hominis atque imaginoſi cerebri figmentum eſſe valde credibile eſt. Quamobrem his argumentis adorationis finem imponere non pertimeſcam duobus teſtimoniis Virorum illuſtrium, qui ſæculo duodecimo virtutis ac ſcientiæ ſublimitate floruerunt. Primus eſt B. Algerus Scholaſticus Leodienſis, poſtea Monachus Cluniacenſis, tractatu ab Eraſmo laudato, de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, lib. I. cap. XIV. *Fruſtra enim immolationis ſuæ tempore diceremus, Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis: ſi quem* ADORAMUS *in Sacramento, mentiremur eſſe in cælo.* Alter eſt Venerabilis Petrus, Abbas Cluniacenſis, qui obiit anno MCLVII. Epiſtola contra Petrobruſſianos, cap. *Contra id quod dicit Miſſam nihil eſſe, nec celebrari debere*, circa finem pag. 238. lit. F. tom. XII. Bibliothecæ Patrum, II. parte edit. MDCXVIII. *Claret, inquam, ratio, cur non tantum ad honorandum, non tantum ad* ADORANDUM, *ſed inſuper ad manducandum carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum Chriſtus Chriſtianis, Dominus ſervis, Deus hominibus dare voluit.*

Hæc autem abundanter ſufficiunt ad vindicandam uſque ad duodecimum ſæculum in Oriente & Occidente Euchariſtiæ adorationem. Jam ergo ad diluendas objectiones procedamus & ſolutiones explicandas, quæ noſtris argumentis & probationibus nec inferiores, nec deteriores eſſe videantur.

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ.

LIBER II.

CAPUT I.

Diluuntur objectiones a Joanne Dallæo Calvinisticæ partis Ministro propositæ ex sacra Scriptura adversus adorationem Eucharistiæ.

I. ARGUMENTUM quod vocant in Schola negativum assumit Minister, ex eo quod Christus Dominus in ipsa Sacramenti sanctissimi institutione suis discipulis adorationem conceptis verbis non præcepit: quod non solum conducibile, verumetiam necessarium esse videbatur ad

persuadendam veram & realem sui corporis in Eucharistia præsentiam. Insuper addit, ex nullo Scripturæ loco delatam Eucharistiæ adorationem intelligi; ipsi Christo Salvatori infinitis locis exhibitam, Hebræorum cap. I. v. 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Joannis cap. V. v. 22. & 23. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Et ipsi Apo-
» stoli, inquit Dallæus libro II. de Cultus
» religiosi objecto, cap. I. pag. 220. id esse
» Filii nomen nos docent, in quo omne genu
» flectitur, cælestium, terrestrium, & infer-
» norum. Ac ut exemplis doctrinam hanc
» firmarent, non tacuerunt JESUM, cum
» primum esset natus, Magos prociden-
» tes adoravisse, eundemque cultum ei ab
» aliis non paucis exhibitum fuisse adhuc in
» terris versanti; ut a leproso quodam pio
» ac religioso homine, & ab alio quodam
» fideli Principe, & a multis discipulis a
» tempestate navim in qua jactabantur,
» exagitante servatis, & a muliere Cha-
» nanæa, & ab uxore Zebedæi, & a mu-
» lieribus quæ eum a mortuis resuscitatum
» salutaverunt, & ab Apostolis: quo & illud
» Lucæ pertinet, qui invocatum a Stepha-
» no Martyre JESUM narrat. *Et infra:* Quæ ergo

Matth. II. *v.* II.

VIII. *v.* 2.

IX. *v.* 18.

XIV. *v.* 33

XV. *v.* 25.

XX. *v.* 20.

XXVIII. *v.* 9. & 17.

Act. VII. *v.* 58.

ergo Scriptura JESUM, tametsi docuisset « eum Dei Filium, Deumque vere esse, ni- « hilosecius adorandum, immo & adoratum « fuisse, disertissime, & quidem non semel « nos admonuit: eadem profecto Sacramen- « tum, etiamsi (quod falso supponunt adver- « sarii) corpus Christi vere ac substantialiter « esse verbis illis Dominicis [*Hoc est corpus* « *meum*] docuisset; non ideo tamen super- « sedisset ejus adorationem nobis diserte « præcipere. «

RESPONS. Prætermissa discussione locorum, quæ in gratiam summæ adorationis Christi in terris versati protulit Minister, (& quidem adversus sententiam Rudolphi Hospiniani lib. V. Histor. Sacram. cap. VIII.) quem a discipulis suis infinitis vicibus adoratum summo & divino cultu fuisse non dubito: constat planissime, nullo ex iis loco conceptis verbis præscriptam fuisse adorationem: adeoque licet nullum ejusmodi præceptum adorandæ Eucharistiæ occurrat, ex ejusmodi argumento negativo conclusionem assumi supervacaneam & absurdam contra adorationem Eucharistiæ, abundanter patet. Verum insuper si ex omissa mentione peractæ adorationis Eucharistiæ recte colligitur non esse adorandam; legem omnibus

fidelibus impositam non fuisse adorandi Spiritus sancti, concludere facile erit: quippe cum licet divinitatem ejus ex pluribus Scripturæ locis perspectam habere non difficile sit, nullibi tamen præceptam ejus adorationem, aut confestim peractam conceptis verbis intelligamus. Jam ergo Protestantium hominum est anquirere qua ratione retibus suis se expediant, & argumentum negativum tot conatibus efformatum, in se retortum diluant.

II. Secundam objectionem similiter in forma negativa proponit Minister, quam assumit ex eo quod in prima cœna quam cum discipulis discumbentibus fecit Christus Dominus, in qua sanctissimum Sacramentum instituit, neutiquam scriptum sit, adorationem ab Apostolis ei exhibitam fuisse. Instatque vehementius Minister, & subjiciens inter Catholicos & Protestantes totam controversiam ac quæstionem esse de cultu extrinseco Eucharistiæ, seu genuflexionibus, aut aliis oris ac corporis habitibus; ejusmodi ritus incredibiliter fuisse a Scriptoribus Evangelicis omissos, firmiter contendit: atque hæc omnia assumit ad concludendum, adorationem Eucharistiæ esse Dei ac Christi Domini voluntati ino-

bedientiam atque imperii detrectationem manifestam.

RESPONS. Hominis est opiniosi ac tenacis sibi fingere, integram quæstionem & controversiam inter Catholicos & Protestantes de cultu externo Eucharistiæ, seu genuflexionibus, constitutam esse, quem arbitrarium, & in hominum libertate positum esse fatemur perlibenter. Immo vero de cultu & adoratione interiori, in spiritu & veritate, potissimum disputamus, de adoratione cordis & mentis: cujus genuflexiones aliique ritus externi, quos Rudolphus Hospinianus, Zuinglianæ partis Scriptor celebris, *liberas cærimonias* vocat lib. v. Hist. Sacram. cap. VIII. signa sunt, sed non necessaria, seu quæ Græci vocant τεκμήρια: alias enim Angli, qui Regi suo flexis genibus ministrare solent, & *æternum adorandam Majestatem*, in suorum librorum dedicationibus nuncupant, Regibus adorationem deferre viderentur, quamvis nulla gens aut natio minus suspecta jure merito esse possit idololatriæ regiæ, quam Britannica. Igitur varii sunt pro gentium & populorum varietate, externi adorationis & venerationis ritus; interior vero simplex & unica est, totaque intra cordis septa peragitur, nec

Epist. dedic. Rob. Creyghton S. Burianæ Decan. ad Carol. II. Magn. Britann. Reg. pro vera Histor. Conc. Florent.

ulli mutationi aut vicissitudini obnoxia est: neque enim aliud est, quam creaturæ erga suum Creatorem professio clientelaris, qua eum rerum omnium supremum Dominum recognoscit, & in ejus obsequio & submissione perpetuo se permansuram esse profitetur. Cum ex Evangelicis Scriptoribus intelligamus, leprosum adorasse Jesum, & similiter Principem cujus filia defuncta erat, & Chananæam, & matrem filiorum Zebedæi, & mulieres post resurrectionem, & discipulos, omni genuflexionis mentione postposita: ejusmodi ritus externos probare, a nostri instituti ratione longissime alienum esse videtur. Jam ergo restat respondere, cur ipsam adorationem internam Eucharistiæ exhibitam in hac prima cœna silentio prætermiserint Evangelistæ. Sed quid necesse est ejusmodi silentii intus latitantes causas penetrare, cum eodem silentio prætermissam videam adorationem ipsi personæ Christi dubio procul aspectabili in hac cœnæ institutione ac præsenti exhibitam, & similiter cruci affixæ Veritati? Nam si est unquam adoranda Veritas, cruci affixa maxime adoranda est. Quid mirum igitur, mentionem adorationis Christo in Eucharistia existenti oblatæ omissam fuisse,

quam Christo cœnam instituenti, & pro salute omnium hominum cruci affixo delatam, alto silentio prætermissam cognoscimus? Igitur sciscitantibus Calvinistis causas ejusmodi silentii, respondere possumus, quod importune quærentibus Arianis caussas omissæ adorationis Spiritus sancti in Scripturis, dixit S. Augustinus contra Maximinum libro III. capite III. *Da, inquis, testimonia ubi adoratur Spiritus sanctus? Quasi non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus.* Ex lecta in Scripturis divinitate sancti Spiritus, colligit Augustinus ejus adorationem. Quid vetat igitur ex præsentia Christi in Eucharistia tot conceptis Evangelistarum & Apostolorum verbis significata, ejusdem adorationem intelligere? Hac agendi ratione, Spiritus sancti adorationem, deductis ex Scripturæ verbis consecutionibus, defendit S. Gregorius Nazianzenus, & respondit hæreticis verba concepta Scriptorum Canonicorum aut veterum Ecclesiasticorum scitantibus, ac doctrinam Catholicam ejusmodi argumento negativo pulsantibus, Oratione XXXVII. pag. 599. lit. C. Ἀλλὰ τίς προσεκύνησε τῷ πνεύματι; φησί· τίς ἢ τῶν παλαιῶν, ἢ τῶν νέων; τίς δὲ προσηύξατο; ποῦ δὲ τὸ χρῆναι προσκυ-

νεῖν ἢ προσεύχεσθαι γέγραπται; καὶ πόθεν τοῦτο λαβὼν ἔχεις; τὴν μὲν τελειοτέραν αἰτίαν ἀποδώσομεν ὕστερον, ἡνίκα ἂν περὶ τῶν ἀγράφων διαλεγώμεθα. νῦν δὲ τοσοῦτον εἰπεῖν ἐξαρκέσει· τὸ πνεῦμά ἐστιν, ἐν ᾧ προσκυνοῦμεν, καὶ δι' οὗ προσευχόμεθα. πνεῦμα γάρ, φησιν, ὁ Θεός, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν. καὶ πάλιν. τὸ γὰρ, τί προσευξόμεθα, καθ' ὃ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν. ἀλλ' αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. καὶ, προσεύξομαι τῷ πνεύματι· προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ· τουτ' ἔστιν ἐν νοῒ καὶ πνεύματι. τὸ οὖν προσκυνεῖν τῷ πνεύματι, ἢ προσεύχεσθαι, οὐδὲν ἄλλο εἶναί μοι φαίνεται, ἢ αὐτὸ, ἑαυτῷ τὴν δίχην προσάγειν καὶ τὴν προσκύνησιν. *Sed quis, inquies, Spiritum adoravit? quis vel veterum vel recentium? quis eum oravit? quo Scripturæ loco eum adorandum aut orandum esse proditum est? unde hoc hausisti? Nos hujus rei postea pleniorem causam reddemus, cum de non scriptis dogmatibus disseremus. Nunc vero hoc dicere sufficiet: Spiritus est in quo adoramus, & per quem oramus. Spiritus enim, inquit, est Deus: atque eos qui ipsum adorant, in spiritu & veritate oportet adorare. Ac rursus. Quid enim oremus, quemadmodum oportet, nescimus: sed Spiritus ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et alio loco, Orabo spiritu,*

orabo & mente, id est, in mente & spiritu. Ergo spiritu adorare vel orare, mihi nihil aliud esse videtur, quam ipsam sibiipsi orationem vel adorationem offerre.

III. Eandem objectionem tertio argumento negativo amplificat Dallæus, quod assumit ex capite XI. Epistolæ I. ad Corinthios, in qua mentione facta adhibendæ reverentiæ & venerationis ad celebrationem Cœnæ Dominicæ, adorationem prætermittit. At ejusmodi effugium intercludere facile est: non minus enim opportunum ac necesse esse videbatur ibi mentionem facere adorationis Christi præsentis, & ob oculos incurrentis, quam in Eucharistia delitescentis. Sed econtra ex conditionibus a S. Paulo præscriptis ad perceptionem Eucharistiæ, descriptam adorationem perspicimus. Quid enim est esse in reatu corporis & sanguinis Domini, nisi Deo debitam observantiam omittere? Quid crimen non dijudicati corporis Domini, nisi Deo creaturam anteponere? Quid denique seipsum probare ante comestum panem & epotum calicem, nisi Dei mandatis diligenter obtemperare, eumque super omnia diligere? hoc est, Christum in perceptione Eucharistiæ vero ac sincero cultu

adorare? Igitur tantum abest ut S. Paulus adorationem non præscripserit, quam econtra nativis coloribus descripsit.

CAPUT II.

Diluitur objectio Dallæi, assumpta ex S. Justino Martyre.

I. CONTENDIT Minister, S. Justinum Apologia II. pro Christianis, integrum retulisse ritum, quo Christiani sua ætate sacram Eucharistiam celebrare solebant: & cum ex conceptis verbis ejusdem, adorationem non animadvertat, nemini impositam fuisse necessitatem adorationis firmiter defendit. Hæc verba S. Justini, quæ suæ fictioni putat conducibilia, refert: *Panis, & vinum, & aqua offertur, & Præpositus itidem quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat, dicens, Amen. Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti; absentibus autem per Diaconos mittitur.*

RESPONS. Non dicit S. Justinus con-

ceptis verbis, in his precibus veteres Christianos Deum adorasse. Quis tamen ex his concludat, Deum non fuisse adoratum? Enimvero cum primi Christiani Deum esse ubique existimaverint, ubique adorandum existimasse non dubitandum est. At vero si ubique adorandum, ubique existentem crediderunt: dubitandi locus non relinquitur, quin corpus & sanguinem Christi in Eucharistia adoratione dignum reputaverint; siquidem in ea esse & revera existere sibi persuaserint. Quamobrem cum hanc fuisse Justini, adeoque primitivæ Ecclesiæ, fidem ex continuo Apologiæ II. sermone intelligere necesse sit, eundem in Eucharistia Christum adorandum existimasse, luce meridiana clarius est. Hæc sunt verba pag. 98. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν· ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν· οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. *Non enim ut communem panem, neque communem potum ista sumimus. Sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus* JESUS CHRISTUS

Servator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius JESU *carnem & sanguinem esse docti sumus.* Quis enim ex his non intelligat, ipsummet sanguinem & carnem in Eucharistia ab hominibus percipi, quam Verbum divinum in ipsa incarnatione assumpsit? atque ex his non concludat naturaliter, carnem in incarnatione assumptam adoratione dignam, eadem adoratione in Eucharistia indignam non evadere?

II. At vero si fateri velint homines Protestantes, S. Justinum eo loci integrum & perfectum retulisse Eucharistiæ ritum sua ætate usu Christianorum & consuetudine receptum; eosdem recognoscere necesse est, quantum a majorum institutis recesserint, & antiquæ Ecclesiæ alescentis mores disturbaverint: quippe cum ritum deferendi Eucharistiam ad absentes, in Gallia præsertim penitus abrogaverint. Eos etiam fateri opus est, Christum Dominum in prima institutione Cœnæ eandem plebi Christianæ sub utraque specie non administrasse: quippe cum observet S. Justinus, Domi-

num ſolis Apoſtolis eam tradidiſſe, & μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι.

Porro cum S. Juſtinus inter Euchariſtiæ ritus, aquæ mixtionem cum vino recenſeat, de qua in Evangelicis & Canonicis Scriptoribus nulla mentio eſt: argumenta negativa, quæ ex ſilentio Scripturæ Dallæus aſſumpſit, quæque ſupra hujus lib. II. cap. I. expendimus, ſupervacanea omnino eſſe, ipſum non diffiteri neceſſe eſt.

CAPUT III.

Diluitur objectio aſſumpta ex traditione trium priorum Eccleſiæ ſæculorum.

I. IN magna paucitate Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui tribus primis ſæculis Eccleſiam illuſtrarunt, non mirum eſt infinita teſtimonia adorationi Euchariſtiæ conducibilia a nobis non inventum iri. Nullum eidem adorationi contrarium conceptis verbis proferre potuit Dallæus, adeoque ſemper ſe maxime argumentorum negativorum aggere cinxit, & obfirmato pectore defendit, S. Juſtinum, S. Irenæum, S. Clementem Alexandrinum, Origenem,

Tertullianum, & S. Cyprianum de adoratione Eucharistiæ nihil dixisse.

II. Sed libri I. capp. II. & III. abundanter demonstravimus, S. Ignatium Martyrem, & Origenem suam voluntatem aggregasse ad tuendam adorationem: & capite quod antecessit, S. Justinum contrarium non fuisse, immo vero naturaliter propitium ostendimus. Quod vero spectat S. Cyprianum, non est difficile probare, tantum Virum inter adversarios adorationis ab hominibus opiniosis incredibiliter recenseri: quippe cum dicat libro de Oratione Dominica, pag. 224. edit. clariss. Nicol. Rigaltii, Eucharistiam esse *panem nostrum*, quemadmodum Christus est *pater noster*, quoniam panis vitæ Christus ipse est. *Nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus, pater noster, quia intelligentium & credentium pater est; sic & panem nostrum vocamus, quia Christus, noster (qui corpus ejus contingimus) panis est.* At vero cum dicitur Christo, *Pater noster*, ei cultum adorationis exhiberi non dubium est: adeoque cum ex S. Cypriano panis vitæ, scilicet Eucharistiæ, Christus sit, & sit panis noster, sicut Christus pater noster est; incredibile & improbabile est, S. Cyprianum

non existimasse panem vitæ esse adorandum, rogandum, & invocandum. Hanc veritatem mirifice confirmat continuo sermone: *Et ideo panem nostrum, id est, Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, a sanctificatione ejus & corpore non recedamus.* Constat igitur ab institutis veritatis nihil magis alienum sibi fingere potuisse Dallæum, eo silentio de adoratione Eucharistiæ apud Patres trium priorum sæculorum: inter quos S. Ignatium, Origenem, & S. Cyprianum ei patrocinari non dubium est; & ex S. Irenæo, Clemente Alexandrino, & Tertulliano quidquam adversum aut contrarium proferre non potis est.

CAPUT IV.

Explicatur sententia S. Basilii Magni de ostensione Eucharistiæ, & S. Germani Constantinopolitani. Objectio assumpta ex novitate ostensionis Hostiæ inter solennia Missarum, diluitur.

I. CUM ostensio seu elatio Hostiæ sanctissimæ sit tantummodo cultus

exterioris effectus, neminem hominem dubitare existimo quin ritus ejusmodi, cum pluribus aliis cærimoniis, ab Ecclesia, non ab ipso Christo proxime institutus sit. Quamobrem plerique Scriptores Ecclesiastici, qui res antiquas accurate scire student, rotunde fatentur, ejusmodi ostensionem ad recordationem elationis crucis Christi apud Græcos peractam & institutam fuisse, & in Ecclesiam Latinam non nisi inclinato tempore ad cultum & adorationem translatam fuisse. Quæ cum ita sint, Dallæum perperam laborasse satis intelligimus, ut comprobaret ejusmodi Eucharistiæ ostensionem olim fuisse ad recordationem elationis crucis Christi stabilitam. Id enim ante eum doctissimus Hugo Menardus, Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri Monachus, invictissime præstiterat, in suis ad Sacramentale S. Gregorii Notis. Sed utcumque res sit ejusmodi, prorsus nihil attinet ad probandum, Græcos aut Latinos Eucharistiæ adorationem neutiquam exhibuisse: quippe hujusce veritatis allata priori libro argumenta adeo nota sunt & perspicua, ut nullis argumentis negativis infirmari, nullis mæandris ac effugiis declinari possint.

II. Interea tamen Scriptores Catholici, qui antiquitatem hujus ostensionis seu elationis Hostiæ adversus Calvinianos tuendam receperunt, ut adorationi extrinsecus peractæ patrocinentur, duos Patrum Græcorum locos proferunt, quibus se hæreticæ vulpes extricare non possunt. Primus exscribitur ex S. Basilio Magno, Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopo, lib. de Spiritu sancto cap. XXVII. pag. 210. tom. II. edit. Parisf. MDCXVIII. quo ut ostendat non opus esse omnia dogmata in Scripturis conceptis verbis expressa reperiri, hoc exemplum profert veritati quam defendimus valde conducibile: Τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν; *Invocationis verba in ostensione panis Eucharistiæ, & poculi benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit?* Ejusmodi verborum vi perculsus Minister, ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου, quæ ostensionem Hostiæ aperta testificatione significant, contendit, Bellarminum imperite ac pene pueriliter errasse, postposita versione Latina Erasmi, qui hæc verba, ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου, *dum conficitur panis*, non, *in ostensione panis*, de Græcis Latine traduxit: &

insuper defendit, omnes Doctos ex hac voce ἀνάδειξις, *confectionem*, non, *ostensionem*, intelligere.

III. Non desunt apud Veteres exempla, ex quibus intelligimus *confici Sacramentum corporis*, &, *corpus Christi:* ejusmodi enim locutio trita est apud S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Ambrosium, & Tertullianum. Sed inventum difficiliorem habent ea quibus dicitur *confici panis Eucharistiæ:* & fortasse præter S. Justinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone Judæo, nullus Græcorum dixit, ἄρτον ποιεῖν, *panem facere*, ad significandum *consecrare*. Sed postpositis ejusmodi submorosæ critices lasciviis, contendo verbum ἀναδείκνυμι, proprio & nativo sensu semper significare, *ostendo, manifesto, exhibeo*, nec ad alium sensum nisi figurate extendi. Verbi gratia, hæc verba S. Chrysostomi in Oratione de S. Stephano Protomartyre, mentione facta Josephi, μετὰ τὴν δουλείαν κύριος καὶ σοφὸς ἀνεδείχθη, *Post servitutem dominus & sapiens visus fuit*, vel *apparuit*, possent verbo non reddito verbo, verti, *factus est:* quemadmodum cum ait in 1. ad Corinth. Homil. XXIV. pag. 538. πλείονα ἐπιδειξώμεθα τὴν εὐλάβειαν, Gentianus Hervetus doctissimus Canonicus Remensis traduxit,

duxit, *Majorem reverentiam ostendamus*; quæ possent verti, *faciamus*, pro, *ostendamus*. Similiter eodem Sermone, ὁ Ἰακὼβ δώδεκα πατριαρχῶν πατὴρ ἀνεδείχθη, *Jacob duodecim Patriarcharum pater apparuit*; possent non absurde verti, *factus est*, pro, *apparuit*. Sic apud ipsum Basilium, Homilia XIV. in ebrietatem & luxum, pag. 490. lit. D. οἷς μὲν γὰρ ἂν διάχυσιν τοῦ αἵματος ἐμποιήσας πρὸς τὴν ἐπιφάνειαν ἐξανθήσῃ, φαιδροὺς δὲ ἡδεῖς καὶ γεγανωμένους αὐτοὺς ἀποδείκνυσιν. *Eos enim, quibus sanguinem ad superficiem usque suffundit*, vinum scilicet, *lætos & hilares animo exhibet*; traduxit Interpres, *reddit*: quamvis verbum ἀποδείκνυμι nunquam significet, *reddo*. Hæc oratio Liturgiæ S. Basilii, ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ, καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι· sic verti debet, *In proposita dona hæc, & illa benedicas, sanctifices, atque ostendas*: quod enim hoc verbo ἀναδεῖξαι significat S. Basilius, hoc isto, ἀναφανῆναι explicant alii Patres, quod semper significat *ostendi* & *demonstrari*: uti patet apud S. Hippolytum Martyrem anno Christi CCXXX. de Consummatione mundi; ex quo perspectam habemus ostensionem & cultum corporis & sanguinis Domini. Τὸ τίμιον σῶμα, καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ ἐν ταῖς ἡμέραις οὐκ ἀναφανήσεται. *Hono-*

randum corpus & sanguis Christi his diebus non ostendetur.

Quamobrem Græci, S. Joannes Damascenus, S. Maximus Monachus, Anastasius Sinaïta, hunc ritum κουφισμὸν, ὕψωσιν & ἀνύψωσιν, appellant; quæ voces ostensionem & elationem significant. S. Cyrillus Alexandrinus hac voce, ἀνάδειξις, significare voluit *apparitionem*, cum ait lib. VI. Glaphyrorum in Genesim, pag. 188. ἡ τοῦ σωτῆρος ἀνάδειξις, ἡ ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ μετὰ σαρκὸς, *Salvatoris nostri apparitio, quæ in mundo, & cum carne.* Et S. Gregorius Nazianzenus Orat. XLIII. pag. 699. εἰ δὲ τελευταῖος ὁ ἄνθρωπος ἀνεδείχθη· καὶ ταῦτα, χειρὶ Θεοῦ, καὶ εἰκόνι τετιμημένος, θαυμαστὸν οὐδέν. *Quod si postremus homo apparuit, idque, cum Dei manu & imagine ornatus sit, mirum nihil est.* Etsi Abbas Billius, qui non semper literæ adhæret, traduxerit, *creatus est*, pro, *apparuit.* Et Oratione XX. pag. 319. lit. B. Διωγμὸς ἦν, καὶ διωγμῶν ὁ φρικωδέστατος, καὶ βαρύτατος· εἰδόσι λέγω τὸν Μαξιμίνου, ὃς πολλοῖς τοῖς ἐγγύθεν γενομένοις ἐπιφυεὶς, πάντας φιλανθρώπους ἀπέδειξε. *Persecutio erat, & persecutionum atrocissima & gravissima; scientibus persecutionem Maximini dico, qui multis antea existentibus adnatus, omnes hominum amicos esse ostendit.*

Hanc dicendi rationem SS. Patres acceperunt à Scriptoribus Novi Testamenti: v.g. Lucæ cap. I. versu ultimo. καὶ ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ. *Et erat in desertis usque in dies ostensionis suæ in Israël.* Et cap. X. v. I. μετὰ δὲ ταῦτα ἀνέδειξεν ὁ Κύριος καὶ ἑτέρους ἑβδομήκοντα. *Postea designavit Dominus & alios septuaginta.* Igitur planissime constat, tempore S. Basilii factam fuisse ostensionem Eucharistiæ, & bene ac sapienter Bellarminum vertisse locum capitis XXVII. S. Basilii de Spiritu Sancto; & immerito Dallæum famam ejus traduxisse, & ei errorem puerilem, & hominis imperiti exprobrasse. Isaacus Casaubonus partium Protestantium Scriptor celebris, & qui intelligentia Linguæ Græcæ Dallæo longe præstitit, de hoc loco S. Basilii citato a Bellarmino lib. IV. de Sacramento Eucharistiæ cap. XIV. non adeo intemperanter carpit; sed recognoscit, *& quidem* ἀναδεικνύειν, *non male posse exponi*, ostendere, *vel etiam* attollendo ostendere: Exercit. XVI. ad Annales Baronii n. XXXIII. pag. 458. columna inter. edit. Genevensis anni MDCLV. secutus sententiam Rudolphi Hospiniani, lib. V. Hist. Sacrament. cap. VII. pag. 406.

IV. Secundus locus assumitur ex S. Germano, Patriarcha Constantinopolitano, qui sæculo VIII. scripsit, in Theoria mystica, tom. II. Biblioth. Patrum, pag. 163. lit. D. τὸ δὲ ὑψῶσαι τὸν ἱερέα τὸν θεῖον ἄρτον, καὶ τύπον σταυροῦ τρὶς ποιῆσαι ἐν τῷ ἀέρι μετὰ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ ἄρτου, τοῦτο αἰνίττεται. *Quod autem Sacerdos divinum panem attollit, & signum crucis ter facit in aëre cum venerando & vivificante pane, hoc significat.* τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ὕψωσιν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ θάνατον, καὶ αὐτὴν τὴν ἀνάστασιν. *In cruce elationem, in ipsa mortem, & ipsam resurrectionem.* Contendit Dallæus, ex hac elatione & ostensione Hostiæ nullam intelligi posse adorationem. Sed non animadvertit, hunc panem appellari, τίμιον καὶ ζωοποιὸν ἄρτον, *honorandum & vivificum panem.* Enimvero si assentiatur Dallæus de pane Eucharistiæ HONORANDO, non potest dissentire de eodem ADORANDO: quippe cum Christum Dominum in terris versantem cum Discipulis adorandum fuisse comprobaverit his verbis cap. V. Evangelii S. Joannis, v. 23. libro II. de religiosi Cultus objecto, cap. I. pag. 220. linea 29. ut jam observavimus lib. I. cap. V. pag. 30. ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα· ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα τὸν

πέμψαντα αὐτόν. *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum.* Et quidem bene ac ſapienter; ea enim voce τιμὴ uſus eſt S. Paulus, ad ſignificandam ſoli Deo debitam adorationem, Epiſt. 1. ad Timotheum cap. 1. v. 17. τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Regi ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum.* Quem ſecutus eſt S. Gregorius Nazianzenus, ut ſupra lib. 1. cap. v. oſtendimus. Jam ergo non ſolum credibile, verumetiam probabile eſt, eo loci S. Germanum adorationem Euchariſtiæ ſignificare & teſtificari voluiſſe, ipſumque Dallæum inconſulto ac temere ſic ſcripſiſſe pag. 236. lib. II. de religioſi Cultus objecto: Hinc patet, quod Germanus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir, ut notum eſt, octavi ſæculi, ubi in rerum Eccleſiaſticarum Theoria ad hunc locum venit, elevari quidem ſacrum panem teſtatur; de adoratione nullum verbum facit.

CAPUT V.

Argutiolæ quædam Dallæi ex Aula majori Palatii Parisiensis, & Historia Zelacristi Regis Æthiopum fratris, petitæ diluuntur: & alia argumenta adversus adorationem Eucharistiæ assumpta ex miraculis in gratiam adorationis, ut putat, confictis, monumentis antiquitatis Ecclesiasticæ certis & indubitatis solvuntur.

I. POSTQUAM usum & consuetudinem Parisiis receptam tædiosa narratione exaggeravit Dallæus, qua non solum in Aula majore, sed in omnibus angulis & mæandris Palatii Parisiensis, omnes homines circa horam undecimam matutinam, audito pulsu campanulæ, quæ Sacerdotem in sacello quodam vicino celebrantem, ad consecrationem Hostiæ procedere significat, genua flectunt; & imposito confestim silentio, mugitus litigantium conquiescunt, & motus hominum inter se repugnantium statim componuntur: attonitus observat, similem ascesim primis Ecclesiæ sæculis penitus ignotam fuisse; adeoque

concludit, prætermissam omnino fuisse adorationem Eucharistiæ. Ejusmodi ratiocinationem confirmat, ut sibi persuadet, invictissime exemplo Zelacristi Regis Æthiopum fratris, qui, ut referunt Jesuitæ in Annalibus Æthiopum ad annum MDCXXVI. tanto fervore accensus erat ad procurandam adorationem Eucharistiæ, ut Missam in castris suis celebrari jusserit, & elationem seu ostensionem Hostiæ tympano indici, ut hunc cultum copiæ suæ corpori Christi exhiberent. Et postquam animadvertit Minister, Eusebium Cæsariensem, in Vita Constantini Magni Imperatoris Christianissimi, nihil ejusmodi retulisse, & de adoratione Eucharistiæ mentionem nullam fecisse; quærit, qui in hac re tam fuit accuratus Historicus, cur de adoratione Eucharistiæ tacuisset, si quid ei curæ in exercitu impendisset Constantinus. Eo enim recidunt vires hujusce argumenti Dallæi, adversus adorationem corporis Christi in Eucharistia.

RESPONS. Revera fatemur, generalem ejusmodi genuflexionem ad pulsum campanulæ in antiquis Scriptoribus non reperiri; & ante annum MDCXXVIII. quo Rupella capta est, tam generaliter in Palatio Parisiensi peractam non fuisse. Sed cum hoc

anno inermem ac nudam senserit hæresim populus Christianus, coactis ad hanc genuflexionem ipsis Hugonotis, injuriam sibi factam fervore submoroso religionis accensus retaliavit, qua Protestantes in Anglia, Batavia, & aliis regionibus, in quibus dominantur, Mahumedanis truciores, Presbyteros & Monachos syrmate laicali indutos, & quasi larvatos, per urbes incedere cogunt, imposita carceris & sæpius capitis pœna. Fatemur enim, Constantinum non statuisse instar Zelacristi tympano indici consecrationem aut ostensionem Hostiæ in suis castris factam: sed obfirmato pectore contendimus, perperam assumi ex ejusmodi omissione conclusionem adversus adorationem Eucharistiæ; quippe quam ex Vita Constantini ab Eusebio Cæsariensi scripta perspectam habemus libro IV. quo synaxim ad celebrationem Eucharistiæ, *adorationem* κατ᾽ ἐξοχὴν, per excellentiam vocat: ἐπὶ τὴν λατρείαν τοῦ Θεοῦ παρεῖναι, *ad adorationem Dei convenire*, hoc est, *ad synaxim & Eucharistiam.* S. Epiphanius paulo post Eusebium, eadem dicendi ratione usus est in Epitome fini Operis adjecta: ἔν τισι δὲ τόποις λατρεία οἰκονομίας ἐν τῇ πέμπτῃ γίνεται, ὥρα ἐννάτῃ. *In quibusdam locis adoratio dispensationis cele-*

bratur Feria quinta, hora nona. Et S.Cyrillus Alexandrinus, Epist. ad Nestorium, relata inter Acta Concilii Ephesini, lib.I. cap. II. a nobis laudata: τὴν ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν λατρείαν. *Incruentam in Ecclesiis adorationem perficimus.* Quis vero ex his jam non intelligat, adorationem Eucharistiæ tempore Eusebii fuisse cognitissimam, solumque ritum cultus & adorationis externum fuisse mutationibus & amplificationibus obnoxium? De veritate tam perspicua abnuere nobis non possunt Protestantes: sciunt enim, primis Ecclesiæ sæculis, majores nostros repudiasse templa pagano ritu polluta, non secus ac idola, eaque Gentilibus æquabiliter exprobrasse intelligunt ex libris Origenis contra Celsum [a], ex S.Cypriano [b], ex Lactantio Firmiano [c], & Minutio Felice. [d] Non utebantur etiam campanis ad indicendas verbi divini conciones, aut synaxes suas; quarum usum receperunt ipsi Protestantes: quibus si jam uti licet ad regendam superstitionis suæ multitudinem, & convocandam plebem ad preces & synaxes suas, quas pias & religiosas existimant; quid vetabit, Christianos de veritate corporis & sanguinis Christi convictos & non dubitantes, ejusmodi cam-

a *Lib.* VII. *pag.* 373.
b *De vanit. idol.*
c *Institut. lib.* I. *&* III.
d *Dialog.* Octavius

panulis indicere ostensionem & consecrationem sanctissimæ Hostiæ, aut etiam tympano, uti Zelacristus Æthiopiæ Princeps in suis castris fieri præceperat?

II. Argutiolas ejusmodi cumulat Dallæus accessionibus objectionis novæ, quam assumit ex miraculis, quæ ficta & dedita opera inventa fuisse sibi persuadet, ad tuendum & sustentandum dogma præsentiæ realis & transsubstantiationis in mentibus populi ejusmodi prodigiorum semper avidi. Inter cætera exscribit miraculum ex Historia Societatis Jesu, lib. 11. §. 27. in qua narrat Orlandinus, asellos animadvertentes a Presbytero quodam Eucharistiam deferri omni pompa & ritu postpositis, genua flexisse: & ex Chronico S. Antonini, parte III. tit. XXIV. cap. III. §. 2. qui refert, mulum hæretici Tolosani, triduana fame irritatum, sibi oblatam Eucharistiam, mergite fœni posthabita, coluisse: & ex piis Hilaribus Angelini Gazæi Jesuitæ, pag. 35. qui refert S. Franciscum tam castigate oviculam cicurasse, ut audito pulsu nolæ confestim genua flecteret. Cum vero sibi persuadeat, ejusmodi miracula apud vetustissimos Scriptores inventum nullum habere; hæc omnia post receptam in Ecclesia adorationem

Euchariſtiæ, ad ludificandas mentes hominum, & ad ejus cultum incendendas, anno circiter MCCXX. inventa & fabricata fuiſſe, defendit.

RESPONS. Equidem vadari nollem ejuſmodi miraculorum Scriptores, Orlandinum, & Angelinum Gazæum, & alios, quorum præſidio ac ſcribendi libertate fides Eccleſiæ non tegitur, nec ſuſtentatur. *Hi enim vehementer Eccleſiæ Chriſti incommodant*, inquit Melchior Canus, Epiſcopus Canarienſis, unus e Concilii Tridentini Patribus, lib. XI. de Locis Theologicis cap. VI. pag. 537. *qui res Divorum præclare geſtas non ſe putant egregie expoſituros, niſi eas fictis revelationibus & miraculis adornarint.* Tam imbecillis fulcris non ſuſtentatur veritas. At vero cum miracula adeo certa ſunt, & extra omnem dubitationis aleam poſita, ut ipſi Proteſtantes ea Autoribus illa referentibus abjudicare non audeant: nihil magis inſtitutis rationis & æquitatis congruum eſt, quam ea aſſumere ad confirmandam Chriſtianæ religionis veritatem. Ejuſmodi autem nobis non deſunt, in rem adorationis Euchariſtiæ comprobandam, apud veteres Scriptores, quorum fidem ac ſynceritatem homines Proteſtantes in falſi ſuſpicione non ponunt.

S. Cyprianus, Episcopus Carthaginensis, & Martyr, anno Christi CCLVIII. inter vetustissimos Scriptores jure merito recensendus, lib. de Lapsis, quatuor miracula de Eucharistia narrat magis stupenda & percellentia iis quæ Orlandinus & Angelinus Gazæus referunt, & quæ Dallæus nobis immeritis exprobrat: quæ tamen Minister superstitionis Calvinianæ, Autor non indoctus Responsionis ad librum vernaculum, sub titulo Officii sanctiss. Sacramenti, in dubium non revocat, pag. 108. in examine secundi Officii.

Porro conceptis verbis hæc miracula refert S. Cyprianus pag. 201. edit. Rigaltii, & propriis oculis hæc se vidisse attestatur: *Præsente ac teste meipso, accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus sibi consulunt sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad Magistratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum*

est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solennibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit; faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum erga se crimen necdum habuit ætatem.

Secundum miraculum non minus percellit, quam primum: sic autem continenti sermone narrat S. Cyprianus: *At vero ea, quæ ætate provecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obre-*

psit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens & concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen; quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.

Tertium reverentiam in perceptione Eucharistiæ adhibendam cum terrore demonstrat. *Et cum quædam*, inquit Cyprianus eodem loci, *arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.*

Quartum vero non minorem stuporem concitat. *Et alius quia & ipse maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere; sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente mutetur.*

Si ejusmodi miracula à Scriptoribus sæculi XIII. referrentur, quasi falsa & suppo-

ſititia Miniſtri dubio procul repudiarent, & ad ſtabiliendam obſervantiam & adorationem Euchariſtiæ inventa ſuggillarent. Verum non ſolitario S. Cypriano relationem ejuſmodi miraculorum acceptam referre debemus: ſed & S. Gregorio Nazianzeno, qui Orat. XI. narrat hiſtoriam ſuæ ſororis S. Gorgoniæ, quæ beneficio Euchariſtiæ cum lacrymis admixtæ, bonam valetudinem corporis & animæ recuperavit: quam priori libro cap. V. laudatam, hic iterum exſcribere tædio eſſet. Non abſimile miraculum refert Orat. XIX. de patre ſuo, qui mala valetudine debilitatus, vires & robur ab Euchariſtia ſola recipiebat. ὑπὸ μόνης ἐῤῥώννυτο τῆς λειτουργίας, καὶ ὑπεχώρει τὸ πάθος, ὥσπερ ἐξ ἐντολῆς φυγαδευόμενον. *Ex ſola Liturgia robur accipiebat, ac morbus tamquam ex edicto & imperio fugatus ſe ſubducebat.*

Denique, non poſſunt nobis reſpondere Miniſtri Proteſtantes, poſt annum MCCXX. in Vitis Patrum ſcriptum fuiſſe & inſertum, quod Pelagius, Diaconus Eccleſiæ Romanæ, qui anno Chriſti DLV. Vigilio Papæ ſuffectus eſt, de Græcis Latine vertit, & cujus mentionem facit Photius, Codice XCVIII. ſuæ Bibliothecæ, qui ſæculo IX.

vixit: & cujus autographum Græcum publici juris fecit paucis abhinc annis doctissimus Socius Sorbonicus, Joann. Bapt. Cotelerius, ex codicibus MSS. Regiis, tomo 1. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, pag. 421. Ex quo manifeste intelligimus, mille annis ante ortum hæresis Calvinianæ, veritatem Eucharistiæ quam defendit Ecclesia Romana, miraculis singularibus & terrificis Deum confirmasse, & ab opiniosorum hominum figmentis vindicasse. Porro ita miraculi minutissima & adjuncta prosequitur Autor, ut dubitandi locum nemini homini relinquat, & hic plene ac cumulate illud exscribere tædio esse non possit.

Διηγήσατο ὁ Ἀββᾶς Δανιὴλ ὁ Φαρανίτης, ὅτι εἶπεν ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀββᾶς Ἀρσένιος (is fuerat Præceptor liberorum Imperatoris Theodosii) περὶ τινὸς Σκητιώτου, ὅτι ἦν πρακτικὸς μέγας, ἀφελὴς δὲ εἰς τὴν πίστιν· καὶ ἐσφάλλετο διὰ ἰδιωτείαν· καὶ ἔλεγεν· οὐκ ἔστι φύσει ὁ ἄρτος ὃν λαμβάνομεν, σῶμα Χριστοῦ, ἀλλ' ἀντίτυπον. καὶ ἤκουσαν δύο γέροντες ὅτι λέγει τὸν λόγον τοῦτον. καὶ γινώσκοντες μέγαν αὐτὸν ὄντα τῷ βίῳ, ἐλογίσαντο ὅτι ἐν ἀκακίᾳ καὶ ἀφελότητι λέγει: καὶ ἦλθον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγουσιν αὐτῷ· Ἀββᾶ, λόγον ἠκούσαμεν περὶ τινὸς ἄπιστον, ὅτι λέγει ὅτι ὁ ἄρτος ὃν μεταλαμβάνομεν, οὐκ ἔστι φύσει σῶμα Χριστοῦ,

Χριστοῦ, ἀλλ' ἀντίτυπόν ἐστι. λέγει ὁ γέρων· ἐγώ εἰμι
ὁ τοῦτο λέγων. οἱ δὲ παρεκάλουν αὐτὸν λέγοντες·
μὴ οὕτως κρατήσῃς Ἀββᾶ, ἀλλ' ὡς παρέδωκεν ἡ
καθολικὴ ἐκκλησία. ἡμεῖς γὰρ πιστεύομεν, ὅτι αὐ-
τὸς ὁ ἄρτος, σῶμά ἐστι τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὸ ποτή-
ριον, αὐτό ἐστι τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, κατ' ἀλήθειαν,
καὶ οὐ κατ' ἀντίτυπον. ἀλλ' ὥσπερ ἐν ἀρχῇ χοῦν
λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς ἔπλασε τὸν ἄνθρωπον κατ'
εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν, ὅτι οὐκ
ἔστιν εἰκὼν Θεοῦ, εἰ καὶ ἀκατάληπτος· οὕτως ὁ ἄρτος
ὃν εἶπεν ὅτι σῶμά μου ἐστὶν, οὕτως πιστεύομεν ὅτι
κατ' ἀλήθειαν σῶμά ἐστι Χριστοῦ. ὁ δὲ γέρων ἔφη·
ἐὰν μὴ πεισθῶ ἀπὸ πράγματος, οὐ πληροφοροῦ-
μαι. οἱ δὲ εἶπον πρὸς αὐτόν· δεηθῶμεν τοῦ Θεοῦ
τὴν ἑβδομάδα ταύτην περὶ τοῦ μυστηρίου τούτου,
καὶ πιστεύομεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀποκαλύπτει ἡμῖν. ὁ δὲ
γέρων μετὰ χαρᾶς ἐδέξατο τὸν λόγον· καὶ ἐδέετο τοῦ
Θεοῦ, λέγων· Κύριε, σὺ γινώσκεις ὅτι οὐ κατὰ
κακίαν ἀπιστῶ· ἀλλ' ὅπως μὴ ἐν ἀγνωσίᾳ πλα-
νηθῶ, ἀποκάλυψόν μοι Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ.
ἀπελθόντες δὲ οἱ γέροντες εἰς τὰ κελλία ἑαυτῶν,
παρεκάλουν τὸν Θεὸν καὶ αὐτοὶ, λέγοντες· Κύριε
Ἰησοῦ Χριστὲ, ἀποκάλυψον τῷ γέροντι τὸ μυστή-
ριον τοῦτο, ἵνα πιστεύσῃ, καὶ μὴ ἀπολέσῃ τὸν κόπον
αὐτοῦ. καὶ εἰσήκουσεν ὁ Θεὸς ἀμφοτέρων. καὶ πλη-
ρωθείσης τῆς ἑβδομάδος, ἦλθον τῇ κυριακῇ εἰς
τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἔστησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ οἱ τρεῖς
μόνοι εἰς ἓν ἐμβρίμιν, μέσος δὲ ἦν ὁ γέρων.

vixit: & cujus autographum Græcum publici juris fecit paucis abhinc annis doctissimus Socius Sorbonicus, Joann. Bapt. Cotelerius, ex codicibus MSS. Regiis, tomo 1. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, pag. 421. Ex quo manifeste intelligimus, mille annis ante ortum hæresis Calvinianæ, veritatem Eucharistiæ quam defendit Ecclesia Romana, miraculis singularibus & terrificis Deum confirmasse, & ab opiniosorum hominum figmentis vindicasse. Porro ita miraculi minutissima & adjuncta prosequitur Autor, ut dubitandi locum nemini homini relinquat, & hic plene ac cumulate illud exscribere tædio esse non possit.

Διηγήσατο ὁ Ἀββᾶς Δανιὴλ ὁ Φαρανίτης, ὅτι εἶπεν ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀββᾶς Ἀρσένιος (is fuerat Præceptor liberorum Imperatoris Theodosii) περὶ τινὸς Σκητιώτου, ὅτι ἦν πρακτικὸς μέγας, ἀφελὴς δὲ εἰς τὴν πίστιν· καὶ ἐσφάλλετο διὰ ἰδιωτείαν· καὶ ἔλεγεν· οὐκ ἔστι φύσει ὁ ἄρτος ὃν λαμβάνομεν, σῶμα Χριστοῦ, ἀλλ' ἀντίτυπον. καὶ ἤκουσαν δύο γέροντες ὅτι λέγει τὸν λόγον τοῦτον. καὶ γινώσκοντες μέγαν αὐτὸν ὄντα τῷ βίῳ, ἐλογίσαντο ὅτι ἐν ἀκακίᾳ καὶ ἀφελότητι λέγει· καὶ ἦλθον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγουσιν αὐτῷ· Ἀββᾶ, λόγον ἠκούσαμεν περὶ τινὸς ἄπιστον, ὅτι λέγει ὅτι ὁ ἄρτος ὃν μεταλαμβάνομεν, οὐκ ἔστι φύσει σῶμα Χριστοῦ,

Χριστοῦ, ἀλλ' ἀντίτυπόν ἐστι. λέγει ὁ γέρων· ἐγώ εἰμι ὁ τοῦτο λέγων. οἱ δὲ παρεκάλουν αὐτὸν λέγοντες· μὴ οὕτως κρατήσῃς Ἀββᾶ, ἀλλ' ὡς παρέδωκεν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. ἡμεῖς γὰρ πιστεύομεν, ὅτι αὐτὸς ὁ ἄρτος, σῶμά ἐστι τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὸ ποτήριον, αὐτό ἐστι τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀλήθειαν, καὶ οὐ κατ' ἀντίτυπον. ἀλλ' ὥσπερ ἐν ἀρχῇ χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς ἔπλασε τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν, ὅτι οὐκ ἔστιν εἰκὼν Θεοῦ, εἰ καὶ ἀκατάληπτος· οὕτως ὁ ἄρτος ὃν εἶπεν ὅτι σῶμά μου ἐστὶν, οὕτως πιστεύομεν ὅτι κατὰ ἀλήθειαν σῶμά ἐστι Χριστοῦ. ὁ δὲ γέρων ἔφη· ἐὰν μὴ πεισθῶ ἀπὸ πράγματος, οὐ πληροφοροῦμαι. οἱ δὲ εἶπον πρὸς αὐτόν· δεηθῶμεν τοῦ Θεοῦ τὴν ἑβδομάδα ταύτην περὶ τοῦ μυστηρίου τούτου, καὶ πιστεύομεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀποκαλύπτει ἡμῖν. ὁ δὲ γέρων μετὰ χαρᾶς ἐδέξατο τὸν λόγον· καὶ ἐδέετο τοῦ Θεοῦ, λέγων· Κύριε, σὺ γινώσκεις ὅτι οὐ κατὰ κακίαν ἀπιστῶ· ἀλλ' ὅπως μὴ ἐν ἀγνωσίᾳ πλανηθῶ, ἀποκάλυψόν μοι Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ. ἀπελθόντες δὲ οἱ γέροντες εἰς τὰ κελλία ἑαυτῶν, παρεκάλουν τὸν Θεὸν καὶ αὐτοὶ, λέγοντες· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ἀποκάλυψον τῷ γέροντι τὸ μυστήριον τοῦτο, ἵνα πιστεύσῃ, καὶ μὴ ἀπολέσῃ τὸν κόπον αὐτοῦ. καὶ εἰσήκουσεν ὁ Θεὸς ἀμφοτέρων. καὶ πληρωθείσης τῆς ἑβδομάδος, ἦλθον τῇ κυριακῇ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἔστησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ οἱ τρεῖς μόνοι εἰς ἓν ἐμβείμιν, μέσος δὲ ἦν ὁ γέρων.

ἀνεῴχθησαν δὲ αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί. καὶ ὅτε ἐτέθη ὁ ἄρτος εἰς τὴν ἁγίαν τράπεζαν, ἐφαίνετο τοῖς τρισὶ μόνοις ὡς παιδίον. καὶ ὡς ἐξέτεινεν ὁ πρεσβύτερος τὴν χεῖρα κλάσαι τὸν ἄρτον, ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου κατῆλθεν ἐξ οὐρανοῦ ἔχων μάχαιραν, καὶ ἔθυσε τὸ παιδίον, καὶ ἐκένωσε τὸ αἷμα αὐτοῦ εἰς τὸ ποτήριον. ὡς δὲ ἔκλασεν ὁ πρεσβύτερος εἰς μικρὰ μέρη τὸν ἄρτον, καὶ ὁ ἄγγελος ἔκοπτεν ἐκ τοῦ παιδίου μικρὰ μέρη. καὶ ὡς προσῆλθον λαβεῖν ἐκ τῶν ἁγίων, ἐδόθη τῷ γέροντι μόνῳ κρέας ἡματωμένον· καὶ ἰδὼν, ἐφοβήθη· καὶ ἔκραξε, λέγων· πιστεύω κύριε, ὅτι ὁ ἄρτος σῶμά σου ἐστὶ, καὶ τὸ ποτήριον αἷμά σου ἐστί. καὶ εὐθέως ἐγένετο τὸ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ κρέας, ἄρτος κατὰ τὸ μυστήριον. καὶ μετέλαβεν εὐχαριστῶν τῷ Θεῷ. καὶ λέγουσιν· αὐτῷ οἱ γέροντες· ὁ Θεὸς οἶδε τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, ὅτι οὐ δύναται φαγεῖν κρέα ὠμὰ, καὶ διὰ τοῦτο μετεποίησε τὸ σῶμα εἰς ἄρτον, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ εἰς οἶνον, τοῖς πίστει δεχομένοις. ηὐχαρίστησαν τῷ Θεῷ περὶ τοῦ γέροντος, ὅτι οὐκ ἀφῆκεν ἀπολέσθαι τοὺς κόπους αὐτοῦ. καὶ ἀπῆλθον οἱ τρεῖς μετὰ χαρᾶς εἰς τὰ κελλία αὐτῶν.

Abbas Daniel Pharanita narravit hæc; Dixit pater noster Abbas Arſenius de quodam Scetiota, quod magnus eſſet in agendo, in fide vero ſimplex: unde quia erat idiota, fallebatur, ac dicebat; Non eſt revera corpus Chriſti, panis quem ſumimus, ſed antitypum, ſeu figura.

Et audierunt duo Senes, quod talem proferret sermonem. Scientes autem magnum eum esse vitæ moribus, reputaverunt, ita loqui ex simplicitate, absque malitia. Unde ad eum profecti dixerunt; Abba, sermonem fidei contrarium audivimus de quodam, quod putet non esse vere & natura corpus Christi quem sumimus panem, sed esse antitypum. Respondit Senex; Ego sum qui ita sentio. Illi vero monuerunt eum hisce verbis; Abba, noli sic tenere, sed quemadmodum tradit Ecclesia Catholica. Nos enim credimus, quod ipse panis, corpus sit Christi, & calix, ipse sit sanguis Christi, secundum veritatem, non secundum figuram. Sed sicut in mundi principio Deus pulverem de terra accipiens, hominem formavit ad imaginem suam, nec quisquam dicere potest, non esse imaginem Dei, quamvis incomprehensa sit imago: ita etiam de pane de quo dixit; Corpus meum est; sic credimus, quod juxta veritatem corpus sit Christi. Tum Senex infit; Nisi res ipsa persuaserit, non plene mihi erit satisfactum. Illi ad eum; Deum deprecemur per hanc hebdomadam circa mysterium hoc, confidimus, eum nobis revelaturum. Senex vero cum lætitia admisit sermonem; Deumque orabat, dicens; Domine, tu scis, me non propter malitiam esse incredulum; sed ne per ignorantiam aberrem,

mihi revela, Domine JESU CHRISTE. *Senes quoque regressi ad suas cellas, obsecrabant Deum, ac dicebant; Domine* JESU CHRISTE, *mysterium istud revela Seni, ut credat, nec perdat labores suos. Et exaudivit Deus utrosque. Completa ergo hebdomada, venerunt Dominico die ad ecclesiam, steteruntque una tres soli in uno embrimio;* (sive, sedili) *medius autem erat Senex. Tunc aperti sunt oculi eorum. Nam cum panis ad sacram mensam positus fuisset, tribus solis apparebat velut puerulus. Et ubi manum extendit Presbyter ad frangendum panem, ecce Angelus Domini descendit de cælo, habens cultrum, & puerulum mactavit, ac sanguinem ejus infudit in calicem. Tum quando Presbyter in particulas fregit panem, etiam Angelus e puerulo particulas incidebat. Ut porro accesserunt ad sumendum e sanctis, soli Seni data est caro cruenta. Quod intuitus, timuit, & clamavit, dicens; Credo, Domine, quod panis corpus tuum sit, necnon calix sanguis tuus. Atque illico caro quam præ manibus gerebat, evasit in panem, juxta mysterium. Et communionem sumpsit, gratias agens Deo. Aiunt ei Senes; Novit Deus humanam naturam, quod carnibus crudis vesci nequeat; ideo corpus suum transformavit in panem, & suum sanguinem in vinum, iis qui fide suscipiunt. Et*

gratias egerunt Deo de Sene, quod non permisisset perire labores illius. Tunc abierunt tres illi in cellas suas ingenti cum gaudio.

III. His addere possumus solutionem objectionis novæ, quam assumit Dallæus ex Sinarum Historia, quam scripsit Trigaltius, qui libri v. cap. VII. refert de quodam neophyto octuagenario, cui nomen erat Fabio, ad extremas vitæ angustias redacto, & gravi morbo laborante, quem sine viatico corporis Christi in mortis paroxysmo relinquendum Jesuitæ decreverant: quippe cum sæviente tunc temporis persecutione, cum pompa & cærimoniis adsuetis deferre non liceret. Sed tandem ad ædes Jesuitarum delatum refert Historicus, Eucharistiam extensis aulæis, & accensis cereis honorificentissime recepisse.

Ex his concludit Minister, dissimilem esse hodiernæ Ecclesiæ & antiquæ effigiem: primis enim sæculis ejusmodi pompas & cærimonias, temporibus præsertim persecutionum, incognitas esse cognitissimum est. Citat in hanc rem S. Justinum Martyrem, qui Apologia II. testificatur, Eucharistiam ad absentes postpositis pompis ac cærimoniis deferri; & Eusebium Cæsariensem, qui libro VI. capite XLIV. ex S. Dionysio

Alexandrino refert, puerum à Presbytero missum, Serapioni seni morienti eandem ministrasse; & Martyrologia Adonis, Bedæ, & Baronii, quæ attestantur, Tharsitium Acolythum, sævientibus persecutionibus Valeriani & Gallieni, corpus Christi ad fideles attulisse: sicque instituta antiqui & moderni ritus dissimilitudine, novitatem adorationis Eucharistiæ se constituisse non dubitat.

Respons. Jam non examino, an Trigaltius ea conditione Historiam Sinarum scripserit, ut nihil veri dicere timuerit, nihil falsi dicere ausus sit. Utcumque res sit, Melchior Canus de Historicis ejusmodi sic scripsit lib. 11. de Locis Theologicis cap. vi. pag. 536. *Ejusmodi ante hos paucos dies quædam fabulæ prodiere, quarum & autores & loca adeo longo intervallo distant, ut an mentiantur illi non possit inveniri, an hæc sint addubitari etiam possit. Sed bene habet, quod totum narrationis corpus commentitium apparet; ut quod Hispanorum sermone teritur, id quoque in hac re facile probes:* De luengas vias, luengas mentiras. Et libenter dicere non pertimesco, Jesuitas tempore persecutionis potuisse, relictis cærimoniis & aliis cultus exterioris pompis, Fabio ægrotanti viati-

cum corporis Christi deferre, non violato jure Ecclesiæ Catholicæ: cujus Ministri clam, & omni ritu extrinseco postposito, Eucharistiam deferunt in Anglia & Batavia, ac in omnibus locis, in quibus hæretici Principes his ritibus uti vetant.

Scrupuli Jesuitarum Ecclesiæ Catholicæ in religionem non veniunt, eosque pro legibus non habet. Immo vero in ipsa Gallia Christianissima, solenniores ritus in Eucharistia deferenda cum umbella, & funalibus accensis, majoribus tantum in urbibus observantur. Presbyteri vicani, moribus agrestibus qui legibus Ecclesiæ non officiunt; sæpe equites aut pedites, habita ratione tempestatis, hyemis, aut longitudinis itineris, ad ægrotos pagorum, corpus Christi in pyxide collo pendula inclusum, deferunt, sine umbella, & sæpe amictu linteo madefacto, cereo inundante pluvia extincto. Nunquam Christus magis adorandus mihi visus est, quam in hoc triumpho paupertatis. Nihil igitur magis absurdum aut supervacaneum est, quam ex carentia rituum ejusmodi & cærimoniarum exteriorum in primitiva Ecclesia, persecutionum temporibus suspiciosissimis, adorationis carentiam aut defectionem arguere. Ex carentia tem-

plorum, quæ Deorum simulacris inquinata, velut idola ipsa, primi Christiani explodere videbantur, & quæ jam libertas Christiana in officina pietatis ac veræ religionis amplissima fabricavit; colligere licebit adorandi Dei legem non fuisse primis Christianis impositam: quod incogitabile semper visum est homini, cui tenacitas opinionum sensum communem non abstulit. Sed econtra, ex anxietate, solicitudine, & ingenti primorum Christianorum cura in deferenda ad ægrotos & absentes Eucharistia, omnibus cultus externi ritibus spoliata, aut nondum exornata, & jam a Calvinianæ superstitionis sectatoribus impie & inhumaniter abrogata, verum Eucharistiæ cultum & synceram adorationem intelligere necesse est. Quam rationem enim tam sanctæ quam antiquæ consuetudinis abrogandæ adferre possunt, præter defectionem suam ab adoratione Eucharistiæ, & Ecclesiæ Catholicæ fide?

IV. Addit Dallæus, olim ætate S. Irenæi, sive secundo Ecclesiæ sæculo, Episcopos invicem misisse Eucharistiam communicationis signum, & quasi tesseram in domo Dei hospitalem. Sed absurdum est, ex ejusmodi consuetudine colligere denega-

tam Euchariſtiæ adorationem: immo vero ex ea patet, veteres Epiſcopos & Chriſtianos nihil magis in pretio habuiſſe; ipſumque Chriſtum fuiſſe communionis inter fideles ſacrum & inexplicabile vinculum.

CAPUT VI.

Varia ſolvuntur argumenta Dallæi adverſus adorationem Euchariſtiæ, petita ex variis uſibus, & piis exercitationibus Jeſuitarum.

I. PRIMUM argumentum aſſumitur ex conſuetudine recepta apud Jeſuitas, diebus ſolennitatis & lætitiæ, exponendi cultui fidelium ſacram Euchariſtiam; verbi gratia, ipſo die fundatæ & ortæ Societatis: ſimiliter & diebus mœroris & afflictionis. Secundum ex uſu recepto exponendi ſanctiſſimi Sacramenti, ut ſe extricent anxietate negotiorum ac rerum difficilium. Tertium denique ex eo quod, poſtpoſitis legibus & inſtitutis antiquitatis Eccleſiaſticæ, eorum neophyti ac pœnitentes Euchariſtiæ præſenti ſe ſiſtant. Eaque de cauſa Dallæus, quem, ut S. Auguſtini verbis utar, vereor ne in re tanta jiculariter

Lib. IV. de orig. Animæ.

atque irridenter, non ſerio graviterque agere credatur, prodidit exemplum ſingulare adoleſcentis Japonici, qui cum datam fidem ſeu ſponſionem non ludendi alea neglexiſſet, impoſitam crudelis flagri pœnam ſuſtinuit, & juſſu P. Organtini Jeſuitæ, coram ſanctiſſimo Sacramento vapulavit toto tempore, quo inter horrendum flagrorum crepitaculum ſuavi modulatione canebatur Pſalmus CXXIX. *De profundis.* Ejuſmodi exemplum aliorum acceſſionibus cumulat, ex quibus intelligimus, ſi fides adhibenda eſt Dallæo, ſanguinolentis flagellis ac ſcuticis ſæpe Jeſuitas de corio luſiſſe pœnitentium. Hæc omnia ineunte ætate Eccleſiæ non ſolum inuſitata, verum etiam prorſus incognita & inaudita fuiſſe affirmat: adeoque probare ſe poſſe invictiſſime exiſtimat, Euchariſtiæ adorationem tribus primis Eccleſiæ ſæculis, hiſce exercitationibus plagoſis non minus inauditam & inuſitatam fuiſſe.

Respons. Ego vero, poſtpoſitis exercitationibus Jeſuitarum, & flagellationibus pœnitentium, illas, an bene vel male factitatæ ſint, eorum prudentiæ examinandas, ac, ſi opus ſit, tuendas relinquo: eas enim defendere, Eccleſiæ Catholicæ nihil intereſt.

Certe procurationem ejuſmodi flagellationum imitandarum aut tuendarum ergo nuncupatam non receperat doctiſſ. Cardinalis Perronius, & ego quoque non habeo: ſed reſpondeo generatim, ejuſmodi cultus exterioris notas eſſe prudenter ac ſapienter arbitrarias, adeoque a fidelibus inventas, ac continuis temporibus factitatas & amplificatas fervore pietatis nonnunquam heteroclitæ, & naturali quo ab hominibus Proteſtantibus diſſident viri Catholici diſſidio, qui adeo profuſe & extra modum prodierunt ſuæ virtutis ac pietatis exuperantia, ut ſæpe Concilia & Pontifices aſperitatem & ſtudium flagrans defendendæ & exornandæ veritatis condire ac temperare oportuerit. Sicut in cauſa cultus & expoſitionis ſanctiſſimi Sacramenti contigiſſe plene demonſtravit doctiſſimus Joannes *Thiers*, in inveſtiganda antiquitate laborioſus, Paſtor Eccleſiæ *de Chamrond* in diœceſi Carnotenſi, Theologus Pariſienſis, libro vernacule ſcripto de Expoſitione S. Sacramenti, Pariſiis impreſſo anno MDCLXXIII. Utcumque res ſit, ex inuſitatis ejuſmodi exercitationibus, prætermiſſam fuiſſe adorationem Euchariſtiæ contendere ſupervacaneum eſt: quam priori libro confeſtim

Replica cap. XII. obſerv. 2. pag. 174.

peractam fuisse, testimoniis omni exceptione majoribus, S. Ignatii, Origenis, Eusebii Cæsariensis, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Augustini, & infinitis aliis tam perspicuè comprobavimus, ut nulla res infirmare possit.

II. Duplex igitur adorationis genus singulari consideratione reputandum est: unum exterius, quod ad disciplinam pertinet, & est mutationibus & amplificationibus obnoxium: alterum interius, quod in corde, in spiritu & veritate perficitur, ad fidem spectat, & est religionis Christianæ articulus capitalis. Possunt cerei non accendi, Sacramentum non exponi, floribusque altaria non sterni, & supplicationes quotannis ad deferendam per vicos Eucharistiam cum pompa & extensis aulæis prætermitti, non violata fide Ecclesiæ Catholicæ. Sed cultus interioris, cordis & animi, debet esse in Ecclesia constans & perpetua permansio: certum enim hoc esse probavimus; scilicet veteres Eucharistiam semper pro præsente numine habuisse, atque latriæ cultu adorasse.

CAPUT VII.

Diluitur objectio Dallæi contra adorationem assumpta, ex eo quod veteres Christiani a sacro Eucharistiæ, non communicantes arcebant; hodie vero plerique non communicantes, solenniis Missarum intersint.

DIFFICILE est nexum naturalem consecutionis hujus argumenti cum præmissis intelligere. Enimvero ex eo quod omnes qui sacris intererant, Eucharistiam participarent, colligere adorationem prætermissam fuisse, tam absurdum videtur, quam si quis hodie Presbyteros Eucharistiæ adorationem postponere concluderet, ex eo quod singulis Missis quas celebrant, ipsi communicent semper, & Eucharistiam participent. Verumtamen cum placuerit Dallæo ejusmodi ratiocinationem cudere, castigate & accurate retaliare non pigebit.

I. Non gravioris ponderis esse videntur argumenta, quibus probat semper Eucharistiæ communicasse, qui sacræ Liturgiæ celebrationi intererant: quibus annuere non recusamus.

Primum assumit ex Apologia II. S. Justini Martyris, supra laudata, in qua hæc habentur: *οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος. Qui apud nos vocantur Diaconi, unicuique præsentium dant vel porrigunt, ut participent panem & vinum & aquam, super quibus gratiæ actæ sunt.* Enimvero cum eo tempore Christiani omnes singulari sanctitate florerent, nihil prohibebat quominus a singulis Sancta Sanctis participarentur. Lib. I. ostendimus, ea ætate adoratam fuisse Eucharistiam, nihilque divino ejus cultui saltem repugnans aut contrarium apud S. Justinum reperiri. Nihil igitur officit adorationi, libenter fateri, olim omnes qui sacræ Liturgiæ intererant, communicasse, seu Eucharistiam excepisse.

Eandem consuetudinem perseverantiam retinuisse tempore Tertulliani non inficiamur, idque manifeste intelligi ex libro de Oratione cap. XIV. *Similiter & Stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini.* Sed perperam Dallæus sese ab adoratione confutanda deduxit, ut ostenderet Tertullianum eo

loci transſubſtantiationi repugnare. Unde, «
ut obiter id dicam, (inquit pag. 255. libri «
II. de objecto Cultus religioſi) id quoque «
tum temporis a pleriſque Chriſtianis credi- «
tum, & pro certo atque indubitato habi- «
tum fuiſſe conſtat, Euchariſtiæ eſu ſolvi «
jejunium; quod quomodo cuiquam in men- «
tem venire potuerit, qui Euchariſtiam non «
panem, ſed ipſam corporis Domini cæle- «
ſtem ſubſtantiam eſſe crediderit, dicat qui «
poteſt; ego quidem non capio. Vehemen- «
ter deluſus eſt Dallæus, eo quod ſibi per-
ſuaſerit, Tertullianum hac voce *ſtationis*
tantummodo jejunium ſignificare: quod fa-
ciliter poterat dediſcere ex doctiſſima ad
hanc vocem obſervatione illuſtriſſimi Sor-
bonæ Socii, Gabrielis Albaſpinæi, Epiſcopi
Aurelianenſis, lib. I. cap. XVI. & intelli-
gere, ſtationem non eſſe jejunium, nec
orationem; ſed longam & diuturnam in
Eccleſia permanſionem; qua quidem du-
rante & orabant & jejunabant Chriſtiani.
Arguit vero eos Tertullianus, qui in his
permanſionibus a corpore Chriſti abſtine-
bant: quia receptione Euchariſtiæ tempus
mœroris, luctus, orationis & jejunii claudi
ac finiri debere ſibi perſuadebant; non quia
jejunium ipſum ſolvi ac frangi reputabant.

Quem ad modum post Concilium Carthaginense III. omnes fideles non nisi jejuni communicare debent, & revera Eucharistia percepta claudit ac finit tempus jejunii, licet jejunium non nisi carnibus aut aliis comestis esculentis solvatur; sic communio Paschalis solvit tempus jejunii Quadragesimalis, non jejunium Quadragesimæ: alias Eucharistiam recipere toto tempore dierum esurialium vetitum fuisset.

II. Sed instat firmiter Dallæus ex S. Joanne Chrysostomo, Homilia III. in Epist. ad Ephesios, pag. 1051. edit. Hier. Commelini, anno MDXCVI. in qua sic ait: Πᾶς γὰρ ὁ μὴ μετέχων τῶν μυστηρίων ἀναισχυντῶς καὶ ἰταμῶς ἑστηκώς. *Omnis enim qui non est particeps mysteriorum, impudenter & audacter stat.* Et infra, de iis qui sacræ Liturgiæ, postposita communione, intersunt: οὐ βέλτιον τὸν τοιοῦτον μηδὲ παραγίνεσθαι; *Nonne melius esset ejusmodi nequaquam adfuisse?* Verum nihil hic dicit Chrysostomus, quod non ori concionatoris Christiani hodie possit induci. Duos abusus sibi invicem contrarios & repugnantes carpit, qui sua ætate populum Christianum deformabant: quidam enim bene ac syncere parati communionem corporis Christi percipere negligebant; alii vero,

vero, quamvis criminibus inquinati, occaſione data feſti Paſchalis, aut Pentecoſtes, ad ſacram menſam temere accedere non pertimeſcebant. Sic eos arguit S. Chryſoſtomus: Πολλὴν ὁρῶ τοῦ πράγματος ἀνομαλίαν· ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις καιροῖς οὐδὲ, καθαροὶ πολλάκις ὄντες, προσέρχεσθε· ἐν δὲ τῷ πάσχα, κἂν ᾖ τι τετολμημένον ὑμῖν, προσίτε. ὢ τῆς συνηθείας! ὢ τῆς προλήψεως! *Multam video rei inæqualitatem: in aliis quidem temporibus, quum mundi quidem ſæpe ſitis, non acceditis: in Paſchate autem, etiamſi aliquod ſcelus a vobis ſit admiſſum, acceditis. O conſuetudinem! o præſumptionem!*

Sed tantum abeſt ut ex his conſequatur, omnes qui ſacræ Liturgiæ intererant, communicaſſe: ut econtra planiſſime conſtet, multas Liturgias abſque communicantibus quotidie celebratas fuiſſe. Hoc enim ex conceptis verbis S. Chryſoſtomi intelligimus eadem Homilia: Εἰκῆ θυσία καθημερινὴ, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ· οὐδεὶς ὁ μετέχων. Ταῦτα, οὐχ ἵνα ἁπλῶς μετέχητε, λέγω, ἀλλ' ἵνα ἀξίους ἑαυτοὺς κατασκευάζητε. *Fruſtra eſt quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus altari: nemo eſt qui participet. Hæc dico, non ut ſolum participetis, ſed ut vos dignos reddatis.* Igitur bona fide fatemur, ineunte ætate

Ecclesiæ Catholicæ, omnes qui intererant Liturgiis fideles singulatim communicasse. Sed adulta ætate, & continenti tempore S. Chrysostomi, quadam negligentia pietatis succum vorante, multæ Liturgiæ absque communicantibus celebrari cœperunt, usu pristino tabescente aut senescente. At ex his neutiquam consequitur, prætermissam fuisse adorationem Eucharistiæ, quam perspicuis verbis docet S. Chrysostomus, ut lib. I. cap. VII. ostendimus amplissime. Insuper vero Ecclesia vehementer flagrat desiderio restituendæ pristinæ consuetudinis, atque una sanctitatis & pietatis, quam majores nostri florentissimam reliquerant; ob quam quotidiana corporis Christi participatione dignati sunt. *Optaret quidem*, inquit Concilium Tridentinum Sess. XXII. cap. VI. *sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus sanctissimi sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat.*

CAPUT VIII.

Diluuntur argumenta assumpta ex pompis adhibitis ad Sacramenti venerationem: cereis accensis, suffitu, floribus quibus altaria exornantur, & iconibus Eucharistiæ, a Jesuitis apud Indos fabricatis.

ULTRO fatemur, ejusmodi cultus exterioris notas inventum habere difficilem apud veteres Christianos: sed cum adoratio interior in spiritu & veritate, corporis Christi in Eucharistia, ineunte ætate Ecclesiæ, ita ut adulta & senili, semper factitata sit; obfirmato pectore defendimus, ex his cærimoniis & ritibus externis, libertatis & fervoris Christiani fœtibus genuinis, non posse colligi, novum dogma de adoratione Eucharistiæ exhibenda constitutum fuisse, veteribus Christianis inauditum & inusitatum.

Non hic repetere opus est, quæ libro 1. abundanter explicuimus. Dico tantum, nihil in Arnobio, Tertulliano, & Clemente Alexandrino, magis adversum aut repugnans suffitui, sertis florum, aut cereis ac-

censis reperiri, quam quod Origenes, Lactantius, & Cyprianus, adversus templa protulerunt: quibus tamen ad synaxes & preces publicas uti Protestantes non recusant. Igitur fateri necesse est, fore sanctos & pietati fidelium conducibiles ejusmodi ritus, exterioresque cærimonias, dummodo ad normam dirigantur, & salibus sancti & religiosi objecti condiantur. Pluviam & serenitatem votis & suppliciis ab idolis expetere, grande piaculum crimenque horrendum Gentilium fuit; quod iisdem in verum Deum conversis, magnum religionis ac veræ pietatis Christianorum argumentum evasit. Suffitus apud Ethnicos impius & sceleratus, apud Judæos justus & pius fuit. Quemadmodum ergo infinitos fœtus specie dissimiles ac diversos, Sol in visceribus terræ vegetat: Deus verus omnes cultus & cærimonias exteriores ad se relatas perficit, & ad veram pietatem & religionem utiles efformat ac dirigit. Quid vero magis incommodat aut repugnat Christianæ religionis legibus, cærimonias ac ritus quosdam Gentilium in usum & ascesim Ecclesiæ Catholicæ transferre, quam verba Gentilitati destinata, ac veluti consecrata? quibus uti ipsi Scriptores Canonici non perti-

meſcunt. Epiſt. II. S. Petri cap. II. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.* Ezechielis cap. VIII. v. 14. *Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Idem dicere de imaginibus Euchariſtiæ nihil vetat, quas Fidelibus Indis dant Jeſuitæ. Enimvero cum icones indicia ſint amoris & pietatis erga res effictas & repræſentatas, & ſacrorum donorum, ſeu Euchariſtiæ, dilectionem commendet S. Ignatius, ut oſtendimus cap. II. lib. I. effigie expreſſam eam habere ac venerari, a pietatis & veræ religionis inſtitutis alienum eſſe non poteſt.

Inſuper, ſi miracula in gratiam ejuſmodi imaginum a Jeſuitis relata, falſa ac ſuppoſititia ſunt, veritas non eſt indiga falſitatis; eaque ſuis autoribus comprobanda relinquo.

CAPUT IX.

Diluitur objectio assumpta ex solennitate Festi Corporis Christi, precibus ad Eucharistiam fusis, genuflexionibus, & aliis cultus exterioris notis.

I. CUM inclinata jam ætate religionis Christianæ, solennitas Festi Corporis Christi decimo tertio sæculo instituta sit, atque in Ecclesia S. Martini Leodiensis, occasione data revelationis factæ Julianæ virgini Leodiensi, primulum exorta & inchoata: totis retroactis sæculis inauditam fuisse adorationem Eucharistiæ, plusquam potest, defendit Dallæus. Et postquam hujus Festi magnificentiam, & munerum popularium apparationem, veluti festum Jovis aut Cybeles, descripsit; sic concludit lib. II. de religiosi Cultus objecto cap. XVII. pag. 286.
» Nunc clara & perspicua est nostræ ratiocinationis consecutio; Apostolos, si Eucharistiam numen esse itidem cum Latinis latriæ cultu dignum credidissent, hoc ei Festum æque cum Latinis fuisse consecraturos. Sed virum doctum inter homines

Protestantes non inventum iri à nobis confido, qui ejusmodi ratiocinationem aut consecutionem tuendam recipere velit. Enimvero Festum sanctissimæ Trinitatis, ipsa solennitate Corporis Christi non multo vetustius est. Autor Micrologi, qui vixit anno MLXXXV. in plerisque locis celebratum refert, hoc est, ab omnibus Ecclesiis generaliter receptum nondum fuisse. At verò, si consecutio Dallæi est ad normam accurate directa; quid vetat Socinianos animadvertentes novitatem Festi sanctissimæ Trinitatis, non secus ac Festi Corporis Christi, pernegare, Apostolos adorasse Trinitatem, eidem, si adorandam credidissent, hoc Festum consecraturos? Sed cum ex Scriptoribus Canonicis & Ecclesiasticis omnium sæculorum, adorandam esse Trinitatem intelligere facile esse respondeant Calviniani: quid Catholicæ veritatis defensores respondere prohibebit, ex iisdem Scriptoribus, Scripturæ scilicet & traditionis fontibus, a nobis perspectum iri venerationem & cultum Eucharistiæ debitum? Insuper, Festum Corporis Christi, supplicationes Sacerdotum longo ordine procedentium, suffitus, flores projecti, & extensa aulæa per plateas & vicos, tantummodo

ſunt cultus exterioris indicia; quorum mutationes, imminutiones, aut amplificationes, non tam in Chriſti inſtitutione, quam in pietatis ac prudentiæ Chriſtianæ conſiliis ac libertate poſitæ ſunt.

II. Similiter reſpondeo argumento ex precibus ad Chriſtum in Euchariſtia poſitum fuſis aſſumpto, quas primis ſæculis Eccleſiæ inuſitatas fuiſſe contendit Dallæus. Hanc enim objectionem abundanter lib. I. diluimus, in quo precum ejuſmodi antiquitatem demonſtravimus, nihilque novi præter formam externam habere docuimus.

III. Non felicius procedit ratiocinatio, qua ex eo quod non niſi jejunis liceat Euchariſtiam percipere, ſibi perſuadet, ea conſuetudine antiquiorem non eſſe Euchariſtiæ adorationem. Nam etiamſi hæc perſuaſio à veritate non eſſet alienior, nihil adorationis antiquitati officeret: quippe cum ex Apologia II. S. Juſtini, Apologetico Tertulliani, cap. XXXIX. & lib. II. ad Uxorem cap. V. intelligamus, cœtibus antelucanis, ab hominibus non niſi jejunis Euchariſtiam percipi potuiſſe. S. Auguſtinus Epiſt. CXVIII. cap. VII. obſervat, non niſi à jejunis recipi, dempta anniverſaria feria V. majoris Hebdomadæ: quod etiam lege canonis XXIX.

sancivit Concilium Carthaginense III. Sed cum ejusmodi usus & ascesis ad extrinsecum Eucharistiæ cultum pertineat, legibus Ecclesiasticis institutum & humanis, & a mutationibus ac vicissitudinibus non liberum: dico perceptionem Eucharistiæ ab hominibus, tum jejunis, cum non jejunis, factitatam, esse æquabiliter adorationis argumentum & indicium certum; quoniam qui non jejuni olim receperunt, accuratius Christum imitatione consequi hac agendi ratione sibi persuaserunt; adeoque instinctu venerationis & adorationis Christo exhibendæ, nihil immutare voluerunt. Non aliam rationem condendi hujus canonis XXIX. habuisse videntur Patres Carthaginenses: *Ut Sacramenta Altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Similiter & Thebani, sua consuetudine instituenda, qua non nisi sero & die advesperascente Eucharistiam celebrabant, unicam adorationem spectasse videntur, ut refert Socrates lib. V. cap. XXI. & Sozomenus lib. VII. cap. XIX.

Sed si bona fide ejusmodi cultus exteriores notas, tamquam novitates post stabilitum adorationis dogma institutas teme-

ritate superstitionis humanæ, Dallæus nobis exprobrat: cur eandem novitatem communionis Anglicanæ fratribus non objicit? qui non nisi humiliter, flexis genibus, Eucharistiam recipiunt, præcepto ad hunc ritum speciatim constituto, quod legitur Liturgiæ Anglicanæ pag. 202. edit. Londinensis anni MDCLXXVIII. Non enim est apud Dallæum magis perspicuum adorationis signum & argumentum, quam genuflexio; nihilominus reluctante contribuli Hospiniano, qui ait, *Hoc Sacramentum magna cum religione & reverentia tractandum esse, pro cujusque Ecclesiæ consuetudine, honesto habitu, moderatis gestibus, sobrie, religiose, aperto capite, flexis genibus, & si quæ sunt similes liberæ cærimoniæ.* Lib. v. Hist. Sacrament. cap. VIII. pag. 411.

Sed dubio procul reponent Protestantes, se non posse dubitare quin Anglicanæ communionis fratres omnem adorationem Eucharistiæ denegent, quam ejusmodi cultu soli Deo debito colendam esse nec credunt, nec existimant. Ego vero respondeo, eo pejores ac deteriores illos esse, quo extrinsecus Eucharistiam colunt, quam intrinsecus nullo cultu dignam reputant. Nos vero meliori fide externo cultu veneramur,

quod intus & in corde adoramus. Adeoque fateri necesse est, non debere Protestantes ex genuflexionibus & aliis externæ adorationis notis, quas Eucharistiæ rependimus, captare contumeliam, aut nobiscum scindendæ unitatis causam sibi fabricare: cum ipsimet ad Liturgiam aut synaxim Anglicanam admissi e Gallia nostra Calviniani, flexis genibus Eucharistiam similiter percipiant. Si vero licet genua flectere, ac liberis ejusmodi cærimoniis uti; quid vetat mensas, cui apponitur Eucharistia, mundis linteis ac floribus sternere, & templa, dum synaxes effiunt, odoribus & thure vaporare? Hæc enim omnia disciplinam & temperationem morum liberam spectant, quos varios varia tempora postulant: ipsam vero fidei immutabilis substantiam scopulis immobiliorem nihil attinent.

CAPUT X.

Solvitur objectio assumpta ex vituperationibus & probris, quibus Gentiles afficere potuissent Christianos, si Eucharistiam esse adorandam existimassent.

I. Omnes ritus exterioris cultus, quos usu & consuetudine receptos habet Ecclesia ad celebrationem Eucharistiæ, quoad ejus fieri potest, exaggerat Dallæus; miraturque Gentiles, qui tot calumniarum probris primitivorum Christianorum famam contaminarunt, eos non appellasse θεοφάγυς, hoc est, *Dei Voratores*; quemadmodum solent hodie Turcæ & Mahumedani, ut refert in suis Itineribus Bullæus Gultius, & olim Averroes: cum præsertim dicat Cicero, de Natura Deorum lib. III. cap. XVI. *Ecquem tam amentem esse putas, qui illud quo vescatur, Deum esse credat?*

Ego vero, postpositis tædiosis sermonum amplificationibus, breviter respondeo, Gentiles æquiores fuisse ac magis religiosos ipsis Calvinistis, quominus criminibus com-

mentitiis majores noſtros accuſarent : idque ex duabus cauſis potiſſimum intelligere facile eſt.

1. Gentiles non aliam animo conceperunt comeſtionem fieri poſſe, præter naturalem ; qua ſcilicet nutritio corporis ex alimento accepto perficitur, quod varie tractans natura convertit, propriiſque ductibus in omnes extremaſque corporis particulas diffundit atque confert. Comeſtio enim eis ſemper viſa eſt, illa naturæ laborantis actio, qua quodcumque durius & ſolidius alimentum dentibus in ore conſtructis manditur, extenuatur, & molitur ; manſum vero, & ad nutritionem præparatum, crebra agitatione & motibus linguæ detruditur in ſtomachum, ceu viam communem, per quam illabitur in ventriculum, tum pituitæ oris perfuſione, cum tunicæ ejus, quæ ventriculo continuata eſt & communis, attrectatione.

2. Non ignotum, nec inauditum erat Gentilibus, attonitis Capharnaitis Judæis, & quærentibus Diſcipulis quomodo poſſet Chriſtus dare ſuam carnem ad manducandum, ipſum Chriſtum ejuſmodi fore ſui corporis comeſtionem pernegaſſe ; cum ipſos de modo carnis comedendæ muſſan-

tes sic affatus esset, Joan. cap. VI. vv. 62. 63. 64. *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Igitur mirum non est, Gentiles nomen *Voratorum Dei*, θεοφάγων, primis Christianis non imposuisse, quos Deum suum manducare, aut ejus carnibus vesci naturaliter, neutiquam existimabant.

Quamobrem cum Calvinistæ sciant certissime, nos carnem Christi in Eucharistia extensam & circumscriptive collocatam non credere, sed definitive & modo spirituali; comestionemque substantiæ corporis Christi non esse naturalem, nec per tritionem ac extenuationem dentibus peractam: nihil magis impium, & ab institutis rectæ rationis & justitiæ alienum est, quam Catholicos viros *Voratores Dei*, ac θεοφάγυς, cum Turcis & Mahumedanis, hominibus in rebus Christianæ religionis bardis & βαλανοφάγοις, appellare.

II. Non majori consideratione reputandum est argumentum XXIV. quod Dallæus assumit ex disputandi ratione Celsi adversus Christianos, qua, ut ex libris Origenis

τ Κέλσου intelligimus, exprobrabat adorationem hominis cruci affixi, ipsis exaggerantibus immensitatem veri Dei, pessundantibus & floccifacientibus Deorum simulacra. Miratur Dallæus, in mentem non incurrisse adorationem panis & vini, marmorum & lapidum cultu multo deteriorem & irreligiosiorem; adeoque concludit incredibile esse, tunc temporis adoratam fuisse Eucharistiam. Insuper addit, facile fuisse majoribus nostris, si in Eucharistia præsens numen existimassent, obstruere ora Gentilium continuo exprobrantium, Deum Christianorum in oculos non posse incurrere: ut ex Theophilo Antiocheno ad Autolicum, intelligimus, & ex Dialogo Minutii Felicis, sub titulo, *Octavius*, in quo Cæcilius Gentilium patronus ait: *Deum suum nec ostendere possunt, nec videre.* Nihil enim, quam panem & vinum in Eucharistia quotidie adoratum ostendere ac videre, facilius erat.

RESPONS. Ejusmodi objectio hominis est opiniosi, cui tenacitas erroris sensum communem abstulit; nihil enim ineunte ætate Christianæ religionis, a Gentilium & Celsi mente alienius esse potuit, quam suspicio adorati a Christianis panis & vini,

qui Deum invisibilem solum cultu & adoratione dignum palam & publice prædicabant. Sed ut perspectum habeamus quam facile sit ejusmodi objectionem friare, subjicio Celsum & Cæcilium nostra ætate adversus Catholicos viros disputare: quis ex nobis tanta fatuitate laboraret, ut nos adorare panem & vinum responderet, quæ in Eucharistia existere non credimus, qui nec Deum in speciebus percipi oculis existimamus? Verumtamen, si ratiocinatio Dallæi ad normam recte directa procedit, æquabili ratione probabit, ætate nostra Eucharistiam a Christianis non adorari, qua transactis temporibus Celsi & Minutii Felicis. Quis enim hodie vir Catholicus Celso & Cæcilio interrogantibus non dicat cum Clemente Alexandrino? Θεὸς σεμνὸς καὶ προσκυνητὸς, *Deus venerandus & adorandus*: lib. III. Stromatων pag. 223. Cum S. Justino Apologiæ II. pag. 64. ὅθεν Θεὸν μόνον προσκυνοῦμεν, *Proinde solum Deum adoramus*. Cum Origene lib. I. contra Celsum pag. 10. de diversis Philosophorum sectis: εἴπερ οὖν δεῖ πιστεύειν, ὡς ὁ λόγος ἐδίδαξεν, ἑνί τινι τῶν αἱρέσεις εἰσηγησαμένων ἐν Ἕλλησιν ἢ βαρβάροις. πῶς οὐχὶ μᾶλλον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, καὶ τῷ διδάσκοντι τοῦτον μόνον δεῖν σέβειν, τὰ δὲ λοιπὰ,

λοιπὰ, ἤτοι ὡς μὴ ὄντα, ἢ ὡς ὄντα μὲν, τῆς τιμῆς ἄξια, οὐ μὲν τῆς προσκυνήσεως καὶ σεβασμοῦ, παρο-ρᾶν; *Ergo si credendum est, ut ratio docuit, uni cuipiam eorum qui has sectas induxerunt, quæ apud Græcos celebrantur aut Barbaros: quanto magis Deo hujus universi Domino, & ei qui docet hunc solum esse colendum, cetera vero, sive non existant, sive existentiam habeant, parvi esse existimanda, digna quidem honore, non etiam cultu & adoratione?* Et tandem cum eodem Origene de Eucharistia non respondeat, quod ait Homilia v. in diversos Novi Testamenti locos, libri prioris cap. III. ab omni falsi suspicione vindicata: *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini; tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.* Quis enim ex his non perspiciat plenissime, tempore Origenis adoratam fuisse Eucharistiam, adeoque suo complexu revera Deum continuisse, etiamsi oculis percipi non posset? Quippe cum eo tempore, non

secus ac ætate S. Chrysostomi, *Vocabatur mysterium: quoniam non quæ videmus, aspicimus; sed alia videmus, alia credimus. Talis est enim nostrorum mysteriorum natura.* Καὶ ἄλλως δὲ μυστήριον καλεῖται, ὅτι οὐχ ἅπερ ὁρῶμεν, βλέπομεν, ἀλλ' ἕτερα ὁρῶμεν, καὶ ἕτερα πιστεύομεν. τοιαύτη γὰρ καὶ τῶν μυστηρίων ἡμῶν φύσις. Homilia VII. in I. ad Corinth. pag. 378.

CAPUT XI.

Diluitur argumentum Dallæi, assumptum ex objectionibus veterum Patrum, Origenis, Tatiani, & Minutii Felicis, adversus Gentiles, quas contendit videndas fuisse supervacaneas, & prorsus alienas a sensu communi, si adorandam esse Eucharistiam reputassent. Ratio disputandi S. Irenæi, & Tertulliani, adversus Docetas & Ebionæos, vindicatur.

I. FATERI necesse est, Origenem contra Celsum lib. IV. vituperantem idololatriam Ægyptiorum erga crocodilos, vitulos, & hœdos, impietatis horribilis crimine eos accusasse, eo quod vescerentur Diis quos colebant: Tatianum Orat.

contra Græcos, exprobrasse eis mactationem ovis, quam adorabant; idemque objectasse Minutium Felicem, in Dialogo sub titulo Octavii. Porro Dallæus hæc omnia assumit, ad concludendum incredibiliter positas fuisse ejusmodi objectiones a Patribus existimantibus Eucharistiam adoratione dignam, quas retorquere facile erat in homines qui Christum Deum suum quotidie manducaverint & adoraverint.

Revera amplissimus ejusmodi retorsioni argumenti relictus fuisset locus, si Deum suum Christiani eodem modo comedissent, quo vitulos & hœdos deglutiebant Ægyptii, quos primum mactabant, deinde coquebant, & mensis appositos dentibus extenuabant & conterebant. Sed cum econtra Christiani incruentum suum sacrificium celebrarent, victimamque mirabili modo & a sensibus alieno comederent; nihil ejusmodi retórsione absurdius, aut a rectæ rationis norma alienius fingi posse, supra hujus libri capite x. mox ostendimus.

II. Insuper addit, ex adoratione Eucharistiæ firmissimas objectiones assumi potuisse à S. Irenæo & Tertulliano, contra Docetas & Ebionæos, hos asserentes Christum puri hominis corpus; illos, corpus

phantasticum habuisse: quas cum prætermiserint, jure merito videri eis inauditam & inusitatam ejusmodi adorationem. Sed cum illi Hæretici non negarent, Christum esse etiam in corpore phantastico adorandum: non tam perspicaci sum animo, ut intelligam qua ratione melius processissent S. Irenæo & Tertulliano objectiones assumptæ ex adoratione corporis Christi, quam ex probatione veræ existentiæ ejusdem in Eucharistia. Immo vero, corpore præsente in Eucharistia, tota machina corporis phantastici ruebat necessario; quæ faciliter cum adoratione Christi convenire ac consistere poterat. Mirum igitur non est, S. Irenæum, objectione ex adoratione postposita, ex præsentia reali potius argumentum assumpsisse: quod revera præstitit lib. VI. adversus Hæreses cap. II. *Vani autem omnino, quod universam dispositionem Dei contemnunt, & carnis salutem negant, & regenerationem ejus spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundum hæc, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est.* Tertullianus similiter lib. IV. contra Marcionem cap. XL. ut veritatem carnis Christi

comprobet, ait: *Acceptum panem & distributum Discipulis, corpus illum suum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo.* Nam jure merito hæc verba sequentia, *Hoc est figura corporis mei*, per hyperbaton apposita fuisse proxime post hæc verba, *Hoc est corpus meum;* quæ post hæc, *Acceptum panem*, adscribi debuerant; defendit doctissimus Archiepiscopus Senonensis, Cardinalis Perronius. Etenim cum animo intendisset Tertullianus probare, panem qui revera in Veteri Testamento existimabatur figura corporis Christi, verum & proprium in Novo evasisse, dicendo, *Hoc est corpus meum:* manifesta consecutione constabat, Christum verum corpus assumpsisse.

Equidem scio, Edmundum Albertinum, Charentonii templi Ministrum, plusquam poterat contendisse lib. II. de Eucharistia, ut hanc Perronii Cardinalis interpretationem dilueret. Sed recognoscere jam non est difficile, Albertinum nihil magis imbecillum & enervatum eo capite prodidisse. Quod cum præsentiam realem magis spectet, quam adorationem, ad quam speciatim tuendam in hac Lucubratione dedita opera animum appuli: ad Opus Cardinalis Perronii de Eucharistia, & ad tomum III. de

Perpetuitate Fidei lib. II. capp. II. III. IV. & V. Lectorem syncerum remitto, quibus invictissime probavit Autor, plus arrogantiæ intolerandæ in Albertino fuisse, quam virtutis, & Calvinismi Athletam eo loci, non tam fortibus, quam fulgentibus armis pugnasse, & cladem fecisse.

CAPUT XII.

Diluuntur novæ objectiones Protestantium, assumptæ ex agendi ratione Juliani Apostatæ adversus Christianos, & ex S. Augustino, Theodoreto, & Scriptoribus quibusdam, Philosophis, Judæis, Mahumedanis, qui sæcul. XI. & XII. *religionis Christianæ hostes infensissimi extiterunt.*

I. Sive Dallæus propriæ imbecillitatis conscius, ex argumentis quæ adversus adorationem Eucharistiæ prodidit lib. II. de religiosi Cultus objecto, extiterit; sive sectæ, cui nomen dederat, rebus conducibile ac necessarium prudenter existimaverit; hanc materiam integro Libro dedita opera conscripto, haud scio an bene vel male dixerim tornatam, incudi red-

dendam atque iterum tuendam recepit. Ea igitur de causa lib. VII. de Cultibus Latinorum religiosis, titulum *Adorationis Eucharistiæ* iterum inscripsit, postquam satis concessit, publici juris facto anno MDCLXXI. sexto post emissum in vulgus, anno scilicet MDCLXV. Opus de objecto Cultus religiosi, quod ipse vita comite dicaverat Serenissimo Principi, Augusto Brunsvicensium & Luneburgensium Duci. Utcumque res sint, nec opus nec necesse esse arbitratus sum recentioris istiusmodi Lucubrationis confutationem aggredi; quippe cum 1. repetitio & amplificatio satietatem pariat, ac sine tædio Lectoris, retaliare non potis sit. 2. Mihi visus est Dallæus hanc materiam, quam non injucunde poliverat, non alia de causa retractasse, nisi ut ei, continuo subjiciens per calumniam, Ecclesiam Romanam panem & vinum adorare, obscuritatem & tenebras adferret. 3. His immorari amplius supervacaneum esset, cum objecta quædam cogitatione reputanda in eo libro tantummodo incurrant, quibus nos expedire hoc solitario capite facile est; reliqua vero confutationem Historiæ Eucharistiæ, quam paucis abhinc annis Larroquius, superstitionis Calvinianæ Minister, ex Dallæo

corrasit, aut Dallæus ex Larroquio expilavit, potius spectent, quam adorationis defensionem. Jam ergo his objectionibus nos extricare juvabit.

II. Primam assumit Minister. lib. VII. de Cultibus religiosis cap. XIII. ex agendi ratione Juliani Imperatoris, Apostatæ, adversus Christianos: quo capite vehementer exaggeratis commentitiis probris ac contumeliis, quibus majores nostros afficiebat; videlicet, ipsiusmet JESU CHRISTI adoratione, signo Crucis in fronte, ipsius etiam Crucis veneratione & cultu religioso; observat incredibiliter adorationem panis & vini prætermissam ab eo videri, siquidem ea ætate, non secus ac nostra, Christiani flexo poplite Eucharistiam de geniculis adorassent: adeoque concludit, eo tempore morem adorandæ Eucharistiæ inauditum & receptum nondum fuisse.

RESPONS. Ego vero, cum nihil in religione Christiana reconditum Juliano in monasteriis enutrito, & sæpius ad synaxes admisso, nihilque impervium esse potuerit: non dubito quin perfectissime intellexerit, in celebratione Eucharistiæ, pani & vino divinum cultum non rependi; sed soli Christo, quem majores nostri, sicut & nos,

verum Deum & hominem in Euchariſtia exiſtentem credebant. Adeoque nihil mirabile aut incredibile videri debet, ſi ejuſmodi cultum non exprobraverit. Quippe cum nihil magis ab inſtitutis rectæ rationis & æquitatis alienum fingi poſſit, quam adorationem panis & vini exprobrare hominibus, quorum perpetua conſtanſque perſuaſio eſt, neutiquam panem aut vinum poſt conſecrationem conſiſtere; ſed econtra, ipſum Chriſtum Dominum ab omnibus humanæ ſervitutis incommodis & anxietatibus liberum, in Euchariſtia divino quodam modo & inexplicabili, non circumſcriptivo, collocari. Multo igitur congruentius erat rationi, Chriſti Domini cultum laceſſere, quem humanis conditionibus in terris verſantem, egenum, ac pauperem, in cunis vagientem, denique cruci affixum omnes homines conſpexerant. Inſuper videtur incogitabile, Dallæum velle Julianum genuflexionibus Chriſtianorum coram Euchariſtia factitatis, ſi revera factæ fuiſſent, commoveri: cum ipſe rotunde recognoſcat, fratres Anglos de geniculis Euchariſtiam recipere; & ejuſmodi cultum pium ac religioſum admittat, nulla exprobratione dignum, dummodo non pani, quem manus

Lib. VII. de Cult. relig. cap. IX. pag. 872.

pistoris in mactra depsit, & in furno excoquit; sed pani vivo, qui de cælo descendit, Christo Jesu referatur. Quid igitur officit legibus pietatis & religionis Christianæ, si neque panem minime existentem, neque species superstites; sed ipsum corpus Christi, Divinitati intime conjunctum, de geniculis inclinato vultu cum timore & tremore recipiamus?

III. Secundam objectionem adducit ex intricato loco S. Augustini, cap. x. lib. III. de Trinitate, quo postquam sanctissimus Doctor varia signa sive miracula recensuit a Deo immediate aut ab Angelis factitata, quæ per se timore mentes humanas percellunt, & stuporem excitant; alia refert quibusdam usibus religiosis destinata, quæ deinceps consumuntur, & manibus hominum fabricata & perfecta sunt, inter quæ panem Eucharistiæ recenset. *Sicut panis*, inquit, *ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur.* Continenti sermone de his ultimis signis, quæ corpora sunt industria hominum factitata, ait: *Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tamquam mira non possunt.* Cum nihil difficilius sit, quam sanæ mentis aciem

a consuetudine sensus communis abducere, ingenue fateor me non tam perspicacis esse ingenii, ut artem efformandæ objectionis ex hoc loco S. Augustini, adversus adorationem Eucharistiæ, intelligere possim. Verumtamen Dallæus, cum nihil adoratione dignum existimet, quod non sit stupendum & mirabile; & hunc panem honorem habere tamquam religiosum, neutiquam vero stuporem tamquam mirum, ex Augustino intelligat: eidem adorationis cultum referendum, Augustinum nunquam reputasse sibi persuadet.

RESPONS. Respondeo 1. etiamsi hæc postrema signa hominibus nota & manu hominum facta, non excitent stuporem, vocari tamen a S. Augustino miracula, *Quæ proprie miracula dicuntur*; adeoque a Dallæo posse reputari adoratione digna. 2. Cum ipse bona fide recognoscat eodem capite, hæc signa tamquam religiosa posse habere honorem, etiamsi stuporem non habeant; perperam ea indigna adoratione reputabit, quippe qui defendat, honorem ab adoratione dissimilitudinem non habere, uti ostendimus hujus libri II. cap. I. cujus etiam adorationis cultum Scriptura soli Deo adscribit his verbis: *Soli Deo honor &*

Init. cap. x. lib. III de Trinit.

Rom. cap. XVI. v. 27. & I. Tim. cap. I. v. 17.

gloria: ut supra quoque demonstravimus lib. ejusdem cap. IV. 3. S. Augustinus eo capite vocat Eucharistiam *Pietatis celebrationem.* Pietas autem adorationem significat ex eodem Augustino, Epist. XXIX. *Pietas cultus Dei est.* Alibi pietatem a caritate, quæ adoratio ipsa est, non discernit, lib. scilicet X. de Civitate Dei, cap. IV. *Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.* 4. Denique quid immorari necesse est in investiganda explicatione hujusce loci S. Augustini, qui vix materiam quam tractamus, attinet: cum ipsemet conceptis verbis adorationem Eucharistiæ doceat, Enarrat. in Psalmum XCVIII. *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* . . . . . . *Et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Uti ostendimus lib. I. cap. X.

IV. Jam superest excutiendus nonus locus Theodoreti, quem lib. I. cap. XIII. adorationi Eucharistiæ propitium vindicavimus; assumptus a Dallæo ex Quæstionibus in Genesim, Interrog. LV. ἀβελτηρίας γὰρ ἐσχάτης τὸ ἐσθιόμενον προσκυνεῖν· *Summa insania est comestum adorare:* ex quo concludit Minister, Eucharistiam quam quotidie co-

medimus, non posse ab hominibus nisi mente captis adorari.

RESPONS. Libenter fatemur, summæ insaniæ esse quod comeditur adorare; sed mansum & dentibus in ore constructis attritum, & in stomachum detrusum, velut esculentum ex carnibus animalium confectum. Enimvero luce meridiana clarius perspectum habemus, Theodoretum eo loci ejusmodi alimentorum comestionem, ex quibus nutritio corporis humani consuetudine naturæ perficitur, spectare. Explicat enim causas, ob quas Deus jussit hominibus post diluvium carnibus animalium mundorum vesci, & ab esu immundorum abstinere. *Jubens occidere & comedere volatilia & natatilia & terrestria animalia.* Καὶ πετεινὰ, καὶ νηκτὰ, καὶ χερσαῖα ζῶα θύειντε καὶ ἐσθίειν κελεύσας. *Propterea vero animalia quædam immunda dixit, alia vero munda: ut illa quidem tamquam immunda exhorrentes, non deificent; hæc vero quæ comeduntur, non adorent.* Διὰ τοῦτο τὰ μὲν ἀκάθαρτα τῶν ζώων λέγει, τὰ δὲ καθαρά· ἵνα τὰ μὲν ὡς ἀκάθαρτα βδελυττόμενοι, μὴ θεοποιῶσι, τὰ δὲ μὴ προσκυνῶσιν ἐσθιόμενα. At vero corpus Christi dum comedimus, non occidimus; sacrificium enim vocamus incruentum, ἀναίμακτον θυσίαν.

V. Denique postrema objectio, quam attenta cogitatione semper reputavi, quamvis adorationem Eucharistiæ directe non spectet, colligitur ex Scriptoribus quibusdam religioni Christianæ infensis, Judæis, Philosophis, & Mahumedanis: qui non nisi post tempora Berengariana, scilicet post sæculum XI. cœperunt Dei comestionem Christianis viris exprobrare, eosque *Voratores Dei*, θεοφάγους per calumniam appellare. Uti intelligimus potissime ex his verbis Averrois, qui initio sæculi XIII. obiit, apud Cardinalem Perronium relatis ex Petro Scarga Jesuita: *Se Christiana secta deteriorem aut ineptiorem nullam reperire, cujus sectatores suum quem colunt Deum dentibus discerpunt & devorant.* Ex his colligit Dallæus, ante tempora Berengariana, quibus sibi persuadet constitutum fuisse dogma transsubstantiationis, nulli cultui seu adorationi obnoxiam fuisse Eucharistiam.

Lib. III. de Euch. cap. XXIX

Respons. Plusquam necesse est patet, ejusmodi objectionem non directe, sed subsultu quodam in adorationem resilire, quatenus ex præsentia corporis Christi & transsubstantiatione consequitur: verumtamen silentio prætermittere non expedit; cum præsertim assignare non difficile sit aliam

causam tam fatuæ exprobrationis & contumeliæ adversus Christianos, præter novitatem dogmatis, & recenter Berengarianis temporibus constitutam doctrinam præsentiæ & transsubstantiationis.

Berengarius in Concilio Romano sub Nicolao II. anno MLIX. hæresis crimine convictus, subscribere coactus est retractationi his verbis conceptæ, & dedita opera efformatæ, adeoque fateri, *Scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri* JESU CHRISTI *esse: & sensualiter, non solum Sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri.*

At vero cum opus sit Dei, quod nemo corrigere possit, quem Deus despexerit, relapso in pristinam hæresim Berengario, alterum Concilium Romæ celebravit Gregorius VII. ad rerum Christianarum summam Præfecturam evectus, undeviginti annis post primum Concilium elapsis: in eoque nova lex imposita est, redintegrata lite, homini opinioso & contumaci iterum subscribendi alteri retractationi, quæ priorem non tam amplificat quam explicat, &

ſic ſe habet: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem* JESU CHRISTI *Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris: & verum ſanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ & ſubſtantiæ.*

Conſtat hiſce retractationibus nihil aliud animo intendiſſe Eccleſiam, quam ut Berengarius reſipiſceret, mentemque ab hæreſi ad ſanam fidem & doctrinam de præſentia & tranſſubſtantiatione traduceret. Verumtamen ex variis hujuſce ætatis monumentis intelligimus, occaſione data ejuſmodi retractationum, diviſas fuiſſe Catholicorum Theologorum diſcrepanteſque ſententias de fractione & comeſtione corporis Chriſti. Quamvis enim nulla eſſet de ſubſtantia dogmatis diſſimilitudo ſententiæ; ſive omnes verum Chriſti corpus per converſionem panis ore fidelium excipi, ſibi firmiter

firmiter persuaderent: quidam retractationum Berengarii literæ submorose nimis adhærentes, affatim defenderunt, corpus Christi revera frangi & dentibus conteri; alii vero, quorum opinio continuo tempore invaluit, ejusmodi fractionem & tritionem in symbolis sive speciebus ac stragulis, quibus corpus Christi & sanguis involvuntur, effieri tantummodo, propugnarunt.

Duo Viri hac ætate pietate & doctrina celebres, primam opinionem tuendam receperunt; scilicet Gualterus, qui obiit Magnus Prior S. Victoris Parisiensis anno Christi MCLXXX. uti intelligimus ex Opere ejus *adversus quatuor Labyrinthos Franciæ*, scilicet, Petrum Abailardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictaviensem, & Gilbertum Porretanum. Hujus Gualteri Codex MS. notatus I.I. II. habetur in Bibliotheca S. Victoris Paris. ex cujus lib. III. cap. XI. hæc verba adversus Abailardum R. P. Mabillonius exscripsit Analectorum veterum tom. III. pag. 450. *Demum venit ad Berengarium* Abailardus. *Hic enim Hæreticus asserebat, in figura & in sacramento totum fieri, nihil in veritate. Postea vero convictus coram Nicolao Papa & pluribus Episcopis confessus est, etiam & juravit, panem scilicet & vinum*

post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi esse; & sensualiter non solum sacramento, sed etiam veritate manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri. Ecce catholica fides. Iste autem Scholasticus sic exponit: Vere quidem, ait, est, sed in sacramento tantum. Item ait: Sane dici potest fractio illa & partitio, non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentali fieri, ut vera fractio & partitio sit ibi, quæ fit non in substantia, sed in sacramento, id est in specie. Item, Est ibi vera fractio & partitio quæ fit in pane, id est in forma panis. Item, Fractio & partes illæ, quæ ibi videntur fieri, in sacramento fiunt, id est in specie visibili. Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut sensualiter, non modo sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus Sacerdotum, frangi quoque & atteri dentibus. Vere quidem, sed in sacramento tantum. Vera est igitur ibi attritio & partitio. Ecce dum catholicam fidem, nulla prorsus distinctione indigentem, solitis sibi argumentationibus distinguit, alterum se probat Berengarium. Nam sicut ille asserebat, Omnia fiunt, sed in sacramento tantum: sic & hic. Ille vero correctus addidit sacramento & fractioni, attritioni etiam

dentium, veritatem quam negabat: iste econtra in omnibus veritatem subtrahit, dum asserit omnia fieri, non in substantia, sed in specie visibili & forma panis & sacramento tantum.

Ad eandem opinionem alter mentem suam aggregavit, Abbaudus Abbas incerti loci, cujus tractatum integrum *De fractione corporis Christi*, publici juris fecit idem P. Mabillonius eodem tomo III. Analectorum veterum pag. 442. quem hic exscribere tædio esset. Hæc tantum verba referam, ex quibus patet, ejusmodi Theologos de permansione integri corporis Christi in cælo non dubitasse, quamvis in terris manibus Sacerdotum frangi revera existimaverint. *Quomodo ergo*, inquit, *de uno eodemque corpore quæritur, quod integrum maneat in cælo, & frangatur in terra? Hic maxime apparet quod superius dixi, ideo Apostolum & Evangelistam verbum fractionis* * *præcipue posuisse, ut hoc sua autoritate firmaretur, unde facilius cor humanum dubitaret. Valde enim sibi ipsi adversa videtur assertio, cum de uno eodemque corpore prædicatur, quod integrum maneat & frangatur. Sed has angustias non patitur humana inopia: divinæ autem potentiæ metas præfigere non valet humana infirmitas, etsi conetur temeritas. Quæ enim impossibilia sunt apud*

* Benedixit ac fregit. Matth. cap. XXVI. v. 26.

homines, possibilia sunt apud Deum.

Cum vero tam aspera atque horrida dictio in ore Theologorum non versaretur ante tempora Berengariana; sed econtra omnes homines fideles præsentiam corporis Christi, & transsubstantiationem sine repugnantia crederent, ac, postposita discussione modi mirabilis, quo revera caro & sanguis Christi ore fidelium percipiebantur; cum alimentis ordinariis quibus vescebantur, & arte naturæ nutriebantur, magnam dissimilitudinem habere divinum hunc cibum, sibi persuaderent: nemini homini mirum videri debet, ante condemnationem Berengarii, & exsurgentem ex intelligenda ejus retractatione opinionum ejusmodi divisionem, Christianos viros contumelia *Voratorum Dei*, ac θεοφάγων inquinatos non fuisse; sed hoc probro inaudito & inusitato apud majores nostros, post sæculum XI. rumore ejusmodi opinionis faciliter per orbem sparso, affectos permansisse.

Eccam igitur habemus veram, certam, & solidam tam immanis & intolerabilis contumeliæ & calumniæ causam, quam homines Protestantes in fictam novitatem constituti dogmatis de præsentia corporis Christi in Eucharistia, & transsubstantia-

tione, inter denſas tenebras Hiſtoriæ, & contortos fumos ſæculorum XI. & XII. transferre perperam conantur. Quæ cum ita ſint, dubitandi locus non relinquitur, argumentum ex ſcribendi & agendi ratione hoſtium religioni Chriſtianæ infenſiſſimorum aſſumptum, & in adorationem Eucharistiæ detortum, non ſolum vanum & ſupervacaneum, ſed fractum & diſſipatum remanere.

FINIS.

S. GREGORIUS NAZIANZ.
Orat. XIII. pag. 213.

Δέξαιο καὶ τούτους προσκυνητὰς τοὺς νῦν ὑβριστάς.

Utinam & eos accipias adoratores, qui te nunc contumelia afficiunt.

DISQUISITIO THEOLOGICA DE PRÆCEPTO DIVINO COMMUNIONIS SUB UTRAQUE SPECIE.

NULLUS dubitandi locus relinquitur inter Catholicos & Protestantes Theologos, quin manducare corpus Christi, & ejus sanguinem bibere, non solum opus, verum etiam necessarium sit ad æternam salutem comparandam; ex his Domini verbis, Joan. cap. VI. v. 54. & seq. relatis, quibus Discipulis suis mussantibus, & qua ratione comedendam carnem suam dare posset inquirentibus, respondit: *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveri-*

tis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea, vere eſt cibus: & ſanguis meus, vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

Sed vehemens exſurgit inter eos concertatio de duobus capitibus, quæ ſcindendæ unitatis, ac faciendi ſchiſmatis cauſa ſunt. Primo enim anquirunt, an corpus quod comeditur, ſit verum & proprium; ſimiliter an ſanguis verus propriuſque bibatur: Secundo, an abſolute neceſſarium ſit ad ſalutem procurandam, iſtud corpus Domini ſub ſpecie panis comedere, & ſanguinem ſub ſpecie vini bibere. Primam quæſtionem peritis Virorum doctorum lucubrationibus abundanter enucleatam prætermittam: alteram vero quadam elucidatione non indignam, quantum in me erit, excutiam. At vero, ut labor iſte faciliter feliciterque procedat, exiſtimo varios Novi Teſtamenti locos, qui Communionem corporis & ſanguinis Chriſti ſpectant, eſſe ſingulari cura examinandos; uti ſyncere vi-

deamus, an ex iis verum & conceptis verbis expressum præceptum Communionis sub utraque specie panis & vini, omnibus, nullo dempto, hominibus adultis impositum possit intelligi.

Partium Catholicarum & Protestantium Doctores æquabiliter fatentur, legem percipiendæ Eucharistiæ sub specie vini, haud tanta cum necessitate fuisse impositam, ut nullus ab ea eximatur. Non enim prohibent Protestantes quominus homines abstemii & a vino abhorrentes, sub solitaria specie panis communicent: nec adeo generalem esse legem Communionis sub utraque specie existimant, ut in omni casu generaliter ab omnibus ei obtemperandum esse, sibi persuadeant. Sed quæstio est, an adeo conceptis verbis expressum sit in Scriptura præceptum Communionis sub utraque specie, ut nemo homo communiter & ordinarie ab ejus obtemperatione liber sit: Denique, an illud sit ejusmodi, ut in potestate Ecclesiæ non positum sit laïcos homines & mulieres, ipsosque Sacerdotes, extra ritum sacrificii, a perceptione Eucharistiæ sub specie vini arcere: adeo ut judicia Concilii Constantiensis adversus Wicleffum, Joannem Hus, &

Discipline Ecclesiastique, chap. XII. nomb. VII. pag. 239.

Hieronymum de Praga; & Tridentini contra Lutherum, Zuinglium, & Calvinum abnuere liceat, ac ſecura conſcientia rejicere.

Quinetiam fatentur partes adverſæ, tum Catholicæ, cum Proteſtantes, non neceſſe fuiſſe continuis temporibus omnes inſtitutionis primæ adjunctas ſeu annexas conditiones cuſtodire. V. g. Non opus fuit communicantes ſemper ſoluto jejunio Euchariſtiam recipere, horis ſerotinis, diſcumbentes, atque in pane azymo.

Primus Scripturæ locus, ex quo divini Sacramenti inſtitutionem intelligimus, habetur Matthæi cap. XXVI. vv. 26. 27. & 28. *Cænantibus autem eis, accepit* Jesus *panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Eadem fere repetit S. Marcus cap. XIV. vv. 22. 23. & 24. *Et manducantibus illis, accepit* Jesus *panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis:*

Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. S. Lucas cap. XXII. VV. 19. & 20. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Dixerat antea, Christum discumbentem cum Discipulis, eis præcepisse ut inter se calicem dividerent: v. 14. *Discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* & v. 17. *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos.*

Planissime plenissimeque constat his tribus locis, Christum Dominum imperasse suis Apostolis, ut calicem sanguinis sui biberent, eosque huic præcepto confestim obtemperasse, atque illud affatim perfecisse. Sed contendo ex his neutiquam consequi, hoc præceptum omnes fideles spectasse: quippe cum ex conceptis textus Evangelici verbis intelligamus, solis præsentibus, ac cum Christo speciatim ac nominatim discumbentibus præscriptum fuisse. Insuper videtur incredibile, Christum iis qui hoc præceptum perficere non poterant, præscripsisse. Cum vero calix quo Christus usus

est in Cœna, esset, ut probabile est, in aliis conviviis usitatus, suo complexu non plus continere poterat sacri laticis, quam partite ab hominibus duodecim & singulatim poterat exhauriri. Igitur hæc verba S. Matthæi, *Bibite ex hoc omnes.* & hæc S. Marci, *Et biberunt ex illo omnes*, neminem hominem, præter duodecim Apostolos, spectant aut attinent. Hoc animadvertit conceptis verbis S. Justinus Martyr, Apologiæ II. pro Christianis pag. 98. lit. B. Οἱ γὰρ Ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται Εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου· τουτέστι τὸ σῶμά μου· καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα, καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· τοῦτ' ἐστι τὸ αἷμά μου· καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι. *Nam Apostoli in commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi* JESUM: *eum enim, pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem: hoc est corpus meum; & poculo similiter accepto, & gratiis actis, dixisse: Hic est sanguis meus, ac* SOLIS IPSIS *ea tradidisse.* Quæ cum ita esse ex sacri contextus inspectione intelligantur; perperam his solitariis S. Lucæ verbis, *Hoc facite in meam*

commemorationem, vindicare se posse putant Protestantes, impositam fuisse Communionis calicis legem omnibus, nullo dempto, hominibus. Ex his enim Evangelistarum verbis non intelligimus præscriptam a Christo, aut imperatam Eucharistiæ distributionem, seu ad plebem porrectionem; sed confectionem, quam hæc verba significant: *Hoc facite*. quæ quidem potestatem seu virtutem faciendi ab eodem Christo suis Apostolis datam indicant, quos creavit ac instituit Sacerdotes his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: hoc est, Consecrate & facite corpus & sanguinem meum ad mei recordationem. Nemini autem homini in mentem sanam venit, ejusmodi potestatem a Christo datam esse mulieribus & omni populo. Et quidem si ex his verbis non consequitur, datam esse nisi Apostolis faciendæ Eucharistiæ potestatem; manifesta & naturali consecutione patet, cum ipsismet dixerit: *Bibite ex hoc omnes*; &, *Dividite inter vos*; hanc vocem, *omnes*, solitarios spectare Apostolos duodecim, neutiquam vero omnes homines generatim & generaliter, sive laïcos, sive mulieres.

At vero (inquit Charentonii templi, non « humillimi ingenii Minister Claudius, in Ex-

plicatione vernacula ſectionis LIII. Catechiſmi typis impreſſa Hagæ-Comitis, anno MDCLXXXII. apud Abrahamum Aron-
» deum) ſi præceptum his verbis expreſſum,
» *Bibite ex eo omnes*, non ſpectat laïcos; ni-
» hil in inſtitutione Sacramenti erit, quo ejus
» participatione teneantur, nihil quo jus ha-
» bere videantur percipiendi ſive panis, ſive
» calicis.

Sed nihil magis ejuſmodi ratiocinationis genere vanum ac ſupervacaneum eſt: quippe cum Chriſtus ſuos Apoſtolos non inſtituerit Sacerdotes & miniſtros, niſi ad uſum populi; ac conſecrationem, ſeu confectionem Euchariſtiæ in eorum poteſtate non poſuerit, niſi ut eam plebi Chriſtianæ porrigerent & adminiſtrarent: quamvis lege ſpeciatim ſancita non ſignificaverit, ejuſmodi adminiſtrationem ſub una, aut ſub utraque ſpecie fieri debere. Præterea ſatis intelligimus ex conceptis Chriſti verbis Joannis cap. VI. relatis v. 54: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* jus vindicatum, ac præceptum certum & dedita opera præſcriptum omnibus fidelibus manducandi corporis, & bibendi ſanguinis: utpote impoſita pœna inobedien-

tibus amittendæ vitæ, ſancitum; ſponſa vero mercede vitæ æternæ, ac permanſionis in Chriſto, obtemperantibus. Sed hæc omnia certam, ac conſulto & de induſtria conſcriptam legem percipiendæ Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie non ſignificant. Omnes homines manducare debent carnem Chriſti, & bibere ſanguinem, atque ejuſmodi præcepto non obtemperantibus de ſalute æterna deſperandum eſt: ſed neutiquam ex his conſequitur, conceptam fuiſſe legem, & impoſitam omnibus comedendi corporis ſub ſpecie panis, & una bibendi ſanguinis ſub ſpecie vini. Immo vero eo devolutum eſt totum difficultatis & quæſtionis propoſitæ caput; hoc improbabile Proteſtantibus probandum incumbit. In Eccleſia enim Catholica non dubitamus, ſub ſolitaria ſpecie panis aut vini porrigi nobis carnem, & propinari ſanguinem Chriſti. Præterea maximam diſſimilitudinem animadvertimus inter Euchariſtiæ adminiſtrationem, & confectionem: numquam conficiunt miniſtri & Sacerdotes, niſi ſub utraque ſpecie. *Dividite inter vos. Biberunt ex illo omnes. Bibite ex hoc omnes.* Sed ſub unica ſpecie panis, ex Evangelicis Scriptoribus adminiſtratam fuiſſe Euchariſtiam

intelligimus. Primo ex cap. xxiv. S. Lucæ, quo refertur historia Emmaüntinorum peregrinorum, quibus, nec Apostolica, nec Sacerdotali amplitudine exornatis, Christus Dominus corporis sui dapem admovit. *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Continuo sermone observatum est, eundem Christum cognitum fuisse in fractione panis: *Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Quis enim ex relatione hujus actionis non intelligat, Christum Discipulis porrexisse Eucharistiam, qua S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium, ait Christum domum Cleophæ in ecclesiam dedicasse? *Repetitoque itinere Nicopolim, quæ prius Emaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicavit.*

V. xxx.

V. xxv.

Tom. I. p. 173.

S. Augustinus eo loci Evangelistam spectasse panem Eucharistiæ existimat, quem eodem accipit sensu, quo S. Paulus Epist. I. ad Cor. cap. x. scilicet lib. III. de Concord. Evangelistarum, cap. xxv. in quo mentione facta de Discipulis Christum in fractione panis agnoscentibus, ait: *Nec quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si ejus corporis*

particeps

particeps non est, id est Ecclesiæ, cujus unitatem in sacramento panis commendat Apostolus, dicens: Unus panis, unum corpus multi sumus. *ut cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum.* De pane enim Eucharistiæ dubio procul loquitur S. Paulus, quocum corpus Ecclesiæ comparat, dum ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* postquam v. 16. cap. x. hujus Epist. dixit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*

1. Cor. x. 17.

Venerabilis Beda, qui fato concessit anno Christi DCCXXXI. vel DCCXXXIII. die XXVI. Maii, ad hunc locum S. Lucæ ait: *Impedimentum permittit esse Deus, donec ad sacramentum perveniatur; sed percepta unitate corporis Christi, impedimentum inimici aufertur, ut Christus possit agnosci.* Quod quidem satis congruit iis quæ dicit Augustinus continuo sermone ejusdem cap. XXV. lib. III. de Concord. Evang. *Non autem incongruenter accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum a satana factum fuisse, ne agnosceretur* JESUS: *sed tamen a Christo est facta permissio usque ad sacramentum panis, ut uni-*

tate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.

In eandem ivit ſententiam Theophylactus ad hunc locum S. Lucæ. *Sed & aliud innuit, quod ſcilicet ſumentibus ſacrum panem, aperiuntur oculi eorum, ut eum cognoſcant; magnam enim habet & ineffabilem Dei caro virtutem.*

Jam vero ſi dubium non ſuperſit, quin S. Lucas eo loci de Euchariſtia mentionem fecerit; luce meridiana clarius patet, ipſum Chriſtum Dominum eam ſub una ſpecie, poſtquam revixit, porrexiſſe Diſcipulis peregrinis Emmaüntis. Neque enim temere confugiendum eſt ad figuram ſynecdochen, & inconſulte dicendum, Evangeliſtam cœnæ partem pro toto commemoraſſe; nec dubitandum quin poſtquam manducaſſent, biberint Diſcipuli. Quippe cum de epoto calice in hac cœna non ſolum nihil dicat Evangeliſta; ſed conceptis verbis aſſerat, benedicto pane, fracto, & porrecto, ex oculis eorum Chriſtum repente evanuiſſe. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum.* non potuiſſe eis propinare cali-

Luc. XXIV. 30. 31.

cem, certissime constat ex hujus defectionis Christi ab oculis eorum celeritate ac pernicitate maxima, quam textus Græcus Evangelii mirabiliter exprimit: ϗ ἀυτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' ἀυτῶν.

Jam ergo secundum locum excutiamus. Assumitur ex cap. 11. Actuum Apostolorum, versibus 41. & 42. in quo postquam S. Lucas mentionem fecit multitudinis hominum Evangelio credentium, ait, in doctrina Apostolorum ac panis fractione eos perseverasse. *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* At vero, secundum S. Paulum 1. Corinth. cap. x. v. 16. panis, quem frangimus, est participatio corporis Domini. *Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Adeoque etiamsi locus iste Actuum Apostolorum Græce legatur: ϗ τῇ κοινωνίᾳ, ϗ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, ϗ ταῖς προσευχαῖς. *In communicatione, & fractione panis, & orationibus.* erit semper de pane Eucharistiæ intelligendus: non enim ait S. Paulus: *Communicatio panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* sed, *Panis, quem*

frangimus; quod idem significat ac *fractio panis*. Igitur dialectus Hebraica videtur, quoniam Judæi non cultro panem secabant, sed frangebant : quamobrem panes eorum vocantur κλαστοὶ, *fracti panes*; dicebantque *frangere panem*, pro, *ejus participes alios facere*. Isaiæ cap. LVIII. v. 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam*. Et Lamentationum Jeremiæ cap. IV. v. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. S. Marci cap. VIII. v. 19. ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους. *Quando quinque panes fregi in quinque millia*.

Versio Syriaca, quæ a Christo nato antiquissima est, hunc locum Actorum de pane Eucharistiæ explicat, & in Græco textu legisse oportet: ἐκοινώνουν ἐν ταῖς προσευχαῖς, καὶ τῇ κλάσει τῆς εὐχαριστίας. *Communicabant in precibus, & in fractione Eucharistiæ*. Quamobrem Theodorus Beza ad hunc locum observat, veteres Christianos in illis conviviis quæ Agapas vocabant, solitos etiam fuisse sacram Domini Cœnam usurpare, ut liquet ex I. Corinth. cap. XI. Qua de re agitur Tertulliani Apologetici cap. XXXIX.

Isaacus Casaubonus, inter Scriptores

Protestantes μεγαλώνυμος, agnoscit, tam e veteribus, quam e recentioribus esse, qui interpretentur hæc verba Evangelii S. Lucæ, & Actorum, de Sacramento. Exercit. XVI. contra Baronium, §. XXXVIII. pag. 466. edit. Genev.

Hugo Grotius, Interpretum Scripturæ Protestantium doctissimus, explicans hæc verba, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, de pane Eucharistiæ intelligenda esse docet. *Frugalibus*, inquit, *conviviis, quæ Eucharistiæ sumptione claudebantur. quare Eucharistiæ mentionem fecit Syrus.*

Erasmus stat dubius nisu in medio, & anceps de sensu huius loci. *Incertum*, ait, *hic an loquatur de pane consecrato, cum nulla fiat mentio calicis.*

Larroquius conceptis verbis de Eucharistia hæc verba esse intelligenda subjicit, Hist. Eucharist. lib. III. pag. 545.

Hæc igitur omnia palam demonstrant, hunc locum esse jure merito de Eucharistia intelligendum; adeoque ineunte ætate religionis Christianæ, sub solitaria specie panis administrasse veteres Christianos Eucharistiam. Difficile profecto est maxime perspicere qua de causa vini mentionem omiserit S. Lucas, si ad Deum propitian-

dum & procurandam ſalutem, ſub hac ſpecie ſumere neceſſarium exiſtimaverit; cum mentionem panis, precum, & doctrinæ non prætermiſerit. *Perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Sed defendit firmiter Claudius, pag. 42. Explicationis ſectionis LIII. Catechiſmi, hoc exemplum Diſcipulorum Emmaüntinorum nihil attinere, & ex eo poſſe tantum aſſumi conjecturas improbabiles. Sed utinam ad argumenta quibus noſtræ fulciuntur conjecturæ, reſpondere placuiſſet Miniſtro; ipſe ſuas reſponſiones non ſolum leviſſimas, ſed & diſſipabiles faciliter recognoſceret. Quippe ſatis eſſe putat dicere, » Si colligamus ex omiſſione facta a S. Luca » epoti calicis a Diſcipulis Emmaus, ſolam » ſpeciem panis eis fuiſſe porrectam; æqua- » bili ratione colligendum eſſe, in convivio » a Joſepho ſuis fratribus appoſito, dapes » tantummodo ad manducandum oblatas, » pocula vero ad bibendum propinata non » fuiſſe: cum hoc tantum præceperit diſpen- » ſatori domus ſuæ: *Inſtrue convivium, quo-* » *niam mecum ſunt comeſturi meridie;* non di- » xerit, *& bibituri.*

Genеſ. cap. XLIII. v. 16.

Sed incogitabile eſt, hominem tantiſper

lectioni Scripturæ ac ſtudio adſuetum, ejuſmodi concluſionem ex hoc loco Geneſis aſſumere, quæ continuis verſiculis hujus capitis contrarium aperte docet; ſcilicet, fratres Joſephi non ſolum cum eo compotaſſe, ſed inebriatos eſſe. Verſ. XXXIV. *Biberuntque, & inebriati ſunt cum eo.* Textus Hebræus habet: *Et bibentes cum eo, vino exhilarati ſunt.* Nihil enim ejuſmodi compotationis in integra narratione S. Lucæ de Diſcipulis Emmai inveniri poteſt, quam de induſtria & conſulto prætermiſſam fuiſſe, valde probabile & credibile eſt.

Inſtat Claudius, & obfirmato pectore perſequitur eadem pag. continenter, « Neceſſe eſſe concludere ex hoc ſilentio S. Lucæ de ſpecie vini, ſi hoc genus ratiocinationis locum habeat, commentitium ſeu fictum amicum Davidis, menſæ ejus accumbentem non bibiſſe; quoniam ait tantum David, comediſſe panem ſuum: ſimiliterque Prophetam Agur potu nullo indiguiſſe, cum dicat tantum Domino, *Fac ut decerpam panem demenſi mei.* Eo enim recidunt omnes vires Magni Claudii adverſus exemplum Diſcipulorum Emmaüntinorum.

Sed falſum eſt David tantummodo dixiſſe, commentitium amicum ſuum come-

dum & procurandam salutem, sub hac specie sumere necessarium existimaverit; cum mentionem panis, precum, & doctrinæ non prætermiserit. *Perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Sed defendit firmiter Claudius, pag. 42. Explicationis sectionis LIII. Catechismi, hoc exemplum Discipulorum Emmaüntinorum nihil attinere, & ex eo posse tantum assumi conjecturas improbabiles. Sed utinam ad argumenta quibus nostræ fulciuntur conjecturæ, respondere placuisset Ministro; ipse suas responsiones non solum levissimas, sed & dissipabiles faciliter recognosceret. Quippe satis esse putat dicere, » Si colligamus ex omissione facta a S. Luca » epoti calicis a Discipulis Emmaus, solam » speciem panis eis fuisse porrectam; æquabili » ratione colligendum esse, in convivio » a Josepho suis fratribus apposito, dapes » tantummodo ad manducandum oblatas, » pocula vero ad bibendum propinata non » fuisse: cum hoc tantum præceperit dispen- » satori domus suæ: *Instrue convivium, quo-* » *niam mecum sunt comesturi meridie;* non di- » xerit, *& bibituri.*

Genes. cap. XLIII. v. 16.

Sed incogitabile est, hominem tantisper

lectioni Scripturæ ac studio adsuetum, ejusmodi conclusionem ex hoc loco Genesis assumere, quæ continuis versiculis hujus capitis contrarium aperte docet; scilicet, fratres Josephi non solum cum eo compotasse, sed inebriatos esse. Vers. XXXIV. *Biberuntque, & inebriati sunt cum eo.* Textus Hebræus habet: *Et bibentes cum eo, vino exhilarati sunt.* Nihil enim ejusmodi compotationis in integra narratione S. Lucæ de Discipulis Emmai inveniri potest, quam de industria & consulto prætermissam fuisse, valde probabile & credibile est.

Instat Claudius, & obfirmato pectore persequitur eadem pag. continenter, Necesse esse concludere ex hoc silentio S. Lucæ de specie vini, si hoc genus ratiocinationis locum habeat, commentitium seu fictum amicum Davidis, mensæ ejus accumbentem non bibisse; quoniam ait tantum David, comedisse panem suum: similiterque Prophetam Agur potu nullo indiguisse, cum dicat tantum Domino, *Fac ut decerpam panem demensi mei.* Eo enim recidunt omnes vires Magni Claudii adversus exemplum Discipulorum Emmaüntinorum.

Sed falsum est David tantummodo dixisse, commentitium amicum suum come-

disse panem suum. Id refertur Psalmô xl. v. 10. quo de Juda proditore Christi vaticinatur David Domini figuram repræsentans, ubi juxta Vulgatam editionem ait: *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Et juxta textum Hebræum, ex versione Leonis Judæ, Interpretis Calvinianis non suspecti: *Qui cibo meo victitabat, sublato pede velut calce me petebat.* Ex quibus intelligimus, per *panem* significari totum alimentum, quod vulgo in prandio assumitur, cibumque & potum æquabiliter comprehendit. Enimvero לֶחֶם quod revera *panem* significat Hebraice, etiam in Scriptura sæpe designat *escam & victum*, à radice לָחַם quæ *vesci* Latine sonat: cap. III. Genes. v. 19. Exodi xxv. v. 30. *convivium & epulum*, Eccl. cap. x. v. 19. adeoque pro cibo & potu una junctis solet usurpari; ut observat Buxtorfius, Calvinianæ partis Scriptor doctissimus, Lexici Hebraici & Chaldaici pag. 394. edit. Basileensis anni MDCLXXVI. Insuper dubium non est, David eo loci cibum & potum intellexisse; cum de Juda proditore vaticinium aliter intelligi non possit, cui revera Christus suæ mensæ accumbenti cum cæteris undecim Apostolis, panem & potum, seu corpus &

ſanguinem ſuum, ſub utraque ſpecie, jam tum creato ſcilicet Sacerdoti & Euchariſtiæ miniſtro, porrexerit.

Jam excutiendum ſupereſt teſtimonium Prophetæ Agur, ſcilicet Salomonis Proverbiorum cap. XXX. v. 8. in quo juxta textum Hebræorum legimus: *Inopiam & divitias ne dederis mihi: ſed fac ut decerpam panem demenſi mei.* Et ſecundum Vulgatam verſionem, *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria.* Ex quo intelligimus, per vocem לֶחֶם ſignificari *victum*, ſeu totum nutritionis alimentum, quod cibum & potum comprehendit.

At luce meridiana clarius patet, S. Lucam, cum ait in Evangelio cap. XXIV. cognitum fuiſſe JESUM *in fractione panis.* & in Actis Apoſtolorum, cap. II. fideles perſeveraſſe *in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* ibi conſulto prætermiſiſſe potionem vini, ac ſolam panis ſpeciem ſpectaſſe. Id enim fatentur libenter omnes docti Interpretes Scripturæ, partium Proteſtantium, Hugo Grotius, Iſaacus Caſaubonus, Theodorus Beza, & ipſe Eraſmus: adeoque plusquam neceſſe eſt, patet, ipſas Claudii conjecturas omni probabilitate carere.

Restat nunc examinandus celebris locus S. Pauli, ex cap. XI. Epist. I. ad Corinthios, his versibus expressus.

Versu XXIII. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus* JESUS, *in qua nocte* V. XXIV. *tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc fa-* V. XXV. *cite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis, in meam comme-* V. XXVI. *morationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem* V. XXVII. *Domini annuntiabitis donec veniat.* ITAQUE *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corpo-* V. XXVIII. *ris & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice* V. XXIX. *bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.*

Duo sunt in his versibus multa consideratione reputanda. 1°. Quod se a Christo accepisse refert S. Paulus, & tradidisse Corinthiis, de institutione Sacramenti Eucharistiæ: quod ab Evangelistis antea citatis, & præsertim S. Luca, acceptum refertur, &

complexu horum quatuor verſuum continetur, ſcilicet XXIII. XXIV. XXV. & XXVI. in quibus nihil eſt quod concertationem aut controverſiam moveat inter homines Proteſtantes, & Catholicos viros de communione ſub utraque ſpecie: quippe cum inter nos conveniat, ſic a Deo inſtitutam fuiſſe Euchariſtiam, ut ſub utraque ſpecie ab Apoſtolis, Sacrificis, Preſbyteris, & Epiſcopis continuis temporibus efficeret. Controverſiam vero ſolummodo habemus de conditione inſtitutionis: ſeu contendimus, non ea lege inſtitutam fuiſſe certa, ut non niſi ſub utraque ſpecie plebi Chriſtianæ ſemper porrigeretur; & defendimus, hujus aſceſis exercitationem & abrogationem in Eccleſiæ Catholicæ poteſtate & arbitrio poſitam fuiſſe.

2°. Conſiderandum venit quod ex hac narratione concludit Apoſtolus, & ab hac voce incipit, ὥστε, *Itaque*, verſibuſque XXVII. XXVIII. & XXIX. comprehenditur. At videmus verſu XXVII. alternatim concludere, reum fore violati corporis & ſanguinis Domini, *quicumque manducaverit panem hunc*, VEL *biberit calicem Domini indigne.* Ex hoc enim conſequitur manifeſte S. Paulum exiſtimaſſe, poſſe vel ſolum comedi pa-

nem, vel bibi solitarium vinum; atque utrovis indigne sumpto, hominem polluti corporis & sanguinis reum extitisse. Illa particula, *vel*, ἢ πίνῃ, *vel biberit*, in omnibus codicibus MSS. Græcis occurrit, ad quorum fidem cùm cura expresserunt paucis abhinc annis Angli Protestantes editionem Græcam Novi Testamenti, in Theatro Sheldoniano, anno MDCLXXV. Theodorus Beza, Erasmus, & Sebastianus Castellio, traduxerunt, *aut*: & si quidem in Latinis editionibus ante Concilium Tridentinum occurrat particula, *&*, loco, *aut*; mendum est ad fidem Autographi Græci, in quo nunquam occurrit particula καὶ, corrigendum. Dico, nunquam, etiamsi non ignorem, in editione Bibliorum Polyglottorum Londinensium annotatum esse ad hunc locum S. Pauli, Codicem MS. Græcum Alexandrinum, a Cyrillo Leucare sereniss. Regi Magnæ Britanniæ Carolo I. dono missum, habere καὶ πίνῃ, non, ἢ πίνῃ. Quippe cum solitarius codex suspecta manu porrectus, cæteris non antecellat; & plures propriis oculis viderim, ac manibus tractaverim antiquiores & meliores in Bibliothecis S. Germani Paris. Colbertina, & Regia, in quibus particula ἢ, neu-

tiquam vero, καὶ, legitur: ex quibus, mendum irrepsisse in Codicem Alexandrinum, intelligere necesse est, sive primula librarii errantis manu, aut apostatæ Cyrilli solerti ac maligna corruptione.

At, inquit Claudius, S. Athanasius eo loci legit καὶ, *&*; non, ἢ, *vel.* Ego vero firmissime pernego, hanc lectionem placuisse S. Athanasio, cujus Opus nullum citat Minister, nec proferre potest, præter quemdam forte Sermonem *de cruce & passione Domini*, cum Operibus S. Athanasii compactum, sed ei falso adscriptum, & invictissime abjudicatum ab Erasmo, Abrahamo Sculteto, & Andrea Riveto, diversæ partis Criticis, quorum scientiam Protestantes in suspicione non ponunt. S. Basilius Magnus hunc locum S. Pauli cum particula disjunctiva citat, ἢ πίνει, *vel bibit*, lib. II. de Baptismo, quæst. III. pag. 677. Tom. I. Idem præstat S. Chrysostomus Homilia XXVII. in caput XI. I. Epist. ad Corinth. pag. 566. editionis Commel. anni MDXCVI. S. Cyprianus lib. III. Testimoniorum, num. XCIV. & Epistola XV. edit. Oxoniensis. At vero quoniam non est apud Latinos inusitatum uti particula *aut* disjunctiva, pro *&* conjunctiva: hic

error faciliter irrepsit in exemplaria Latina Epistolarum S. Pauli; in quibus particula & eo loci occurrit. Cum autem hæc particularum ἢ & καὶ promiscua acceptio apud Græcos magis rara sit; & omnes Codices M S S. Græci habeant ἢ πίνῃ, *vel biberit;* ita legendum esse non dubito. Quamobrem doctissimus Grotius sensum disjunctivum huic loco S. Pauli vindicare contendit. *Potest*, inquit, *disjunctiva hic in sua proprietate sumi, quia fieri potest, ut dives seorsim a pauperibus biberet, non ederet; aut ederet, non autem biberet seorsum.*

„ At objicit Claudius pagg. 22. & 23. Dico, hanc particulam *vel* sæpe in Scriptura „ pro copulativa usurpari, ut multis exem„ plis probari potest. Et eo sensu accipien„ dam esse eo loci Apostoli, ex integro con„ textu intelligimus. Nam præterquam quod „ versu proxime antecedenti particulam co„ pulativam usurpavit: *Quotiescumque man„ ducabitis panem hunc, & calicem bibetis*; eo„ dem sensu sequentibus usurpat: *Probet au„ tem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & „ de calice bibat; nam qui manducat & bibit „ indigne, judicium sibi manducat & bibit: non „ dijudicans corpus Domini.* Qui enim fieri po„ test, ut utriusvis speciei usum in libera ho-

minis poteſtate reliquerit Apoſtolus, cum «
utramque ſpeciem conceptis verbis eodem «
loci præcipiat? «

Cum nullos Scripturæ locos citaverit Claudius, in quibus particula disjunctiva pro copulativa collocata ſit, his immorari non neceſſe eſt. Sed inquirendum reſtat, an ex contextu Apoſtoli particulam *vel*, pro *&*, poſitam intelligere opus ſit. Eo recidit totum argumentum Claudii, quod ſcilicet verſu XXVI. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*, S. Paulus particulam copulativam uſurpet. Sed mirum videri non debet, quippe cum verſus XXVI. ex iis ſit, quibus Apoſtolus narrationem concludit ſimplicem rerum a Chriſto Domino geſtarum in inſtitutione ſacramenti Euchariſtiæ: in qua cum Apoſtolos Sacerdotes creaverit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, eiſque ſacri faciendi poteſtatem contulerit; fatemur libenter eſum panis a potione calicis non diſcreviſſe. Hoc enim convenit nobis cum Proteſtantibus, ſemper debere Sacerdotes Euchariſtiam conficere ſub utraque ſpecie. Quamobrem cum S. Paulus uſque ad verſum XXVII. ea tantum referat ſimpliciter quæ accepit: *Ego enim accepi*

a Domino quod & tradidi vobis. & ex proprio prædio nihil proferat; non debuit alternatim de ſpeciebus Euchariſtiæ loqui: ſed hoc non impedit quominus potuerit alternatim concludere verſ. XXVII. quod quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus futurus ſit polluti corporis & ſanguinis Domini. Nam ex relicta in poteſtate Apoſtolorum ſeu Sacerdotum corporis & ſanguinis Chriſti conſecratione ſeu confectione, ad normam directa ratiocinatione conſequitur certiſſime, neminem hominem debere corpus Domini edere, vel ſanguinem bibere indigne. Quamobrem dum ait continuo ſermone Apoſtolus: *Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, &c.* præceptum tantummodo ſpectat probationem ſeu ſpecimen, quod ſui edere cuicumque impoſitum eſt, cum manducanti panem ſacrum, tum bibenti calicem; neutiquam vero ſpectat comeſtionem una & potionem. Senſus igitur S. Pauli eſt, debere hominem ſeipſum diligenter explorare & attentare, ſive manducet, ſive bibat. Quemadmodum ejuſdem Epiſt. cap. X. verſ. XXXI. dum ait: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud*

quid

quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. præceptum non ſpectat manducationem, aut bibitionem, & alias vitæ humanæ & civilis functiones; ſed rerum ac negotiorum omnium ad gloriam Dei directionem. Item cum ait Apoſtolus ejuſdem Epiſt. cap. VII. v. 39. de vidua muliere, *Cui vult nubat: tantum in Domino.* non præcipit nubere mulieri cujus vir obdormierit: ſed cum ei liberum ſit cui velit nubere, jubet non niſi in Domino: ſeu potius nubere permittit, dummodo in Domino.

Sed dato, non conceſſo, ex his verbis, *Et ſic de pane illo edat, & de calice bibat,* impoſitum ab Apoſtolo præceptum intelligendum eſſe: defendo alternum eſſe pro pane & vino; & particulam *&* Latine, ac καὶ Græce, non copulative, ſed disjunctive accipiendam eſſe. 1. Quia verſu proximo, ſcilicet XXVII. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne:* particula eſt disjunctiva, ἢ πίνῃ, *vel biberit:* adeoque cum continui ſermonis ſit idem ſenſus, verſu ſequenti: *Et ſic de pane illo edat, & de calice bibat:* particula *&* disjunctiva debet exiſtimari. 2. Non raro, nec inſolenter apud Autores Græcos particula καὶ uſurpatur

pro particula alterna ἢ, *vel.* Apud Aristotelem lib. IV. de Generatione Animalium, καὶ κρατεῖ, καὶ κρατεῖται, *vel superat, vel superatur.* Lib. II. Magnorum Moralium, ἡ ἀρετὴ μετὰ λύπης, καὶ ἡδονῆς, *Virtus cum dolore, vel voluptate.* Adeoque possent propter connexionem & commissuram cum versu XXVII. ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον, *vel calicem biberit*, hæc verba versus XXVIII. καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω, καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω· sic Latine verti, *Et sic de hoc pane edat, vel de calice bibat.* Cornelius Schrevelius, Calvinista Grammaticus, observat in Lexico manuali Græco-Latino, Lugduni Batavorum impresso anno MDCLXX. particulam καὶ æquabiliter significare *&, etiam, æque, nam, igitur, aut.* Ipse vero, particulam ἢ copulativam esse, non dicit; sed tantum significare *vel, an.* Eduardus *Leich*, e secta Britannicorum Protestantium non ignobilis Scriptor, in sua Critica Veteris & Novi Testamenti, Amstelodami publici juris facta anno MDCLXXIX. animadvertit, apud S. Matthæum cap. XV. v. 4. particulam καὶ esse disjunctivam, & verti debere Latine, *aut.* Cui concinit Georgius Pasor, etiam Calvinista Batavus, in Lexico Græco-Latino in Novum Testamentum. Exem-

plum hujus significationis particulæ καὶ habemus cap. XII. v. 37. ejusdem Evangelii : ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, καὶ ἐκ τῶν λόγων σου καταδικασθήσῃ· quæ Vulgata submorose textui adhærens traduxit : *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*; pro, *vel ex verbis tuis condemnaberis*. Verum enimvero adeo Protestantes recognoverunt hanc particulam καὶ esse nonnunquam disjunctivam, ut hunc versum XXIX. cap. XI. Epist. I. ad Corinth. ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως, κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει· Latine verterint, *Nam qui edit*, AUT *bibit indigne, judicium sibi edit & bibit* : cum Vulgata versio habeat, *Qui enim manducat & bibit*, &c. Id vero perspectum habemus ex versione Latina Novi Testamenti, typis impressa Tiguri per Christophorum Froschonerum, anno Christi MDXLIV. cura Petri Cholini, & Rodolphi Galterii, quæ habetur compacta in fine versionis Bibliorum Leonis-Judæ, qui proxime elapso sæculo, ejurato Judaïsmo, ad Zuinglianismum se traduxit.

Sed sciscitantur a nobis adversarii, qua ratione possimus annuntiare mortem Domini, manducando panem & bibendo calicem Domini, juxta præceptum S. Pauli:

1. Cor. XI. v. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat*: si vel manducare vel bibere desistamus, antequam veniat.

Responsio facilis est, hunc versum XXVI. capitis XI. Epistolæ I. ad Corinthios, esse partem seu membrum narrationis, qua S. Paulus explicat Corinthiis quæ de institutione Eucharistiæ a Domino acceperat: *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis*. Revera enim ad summum explicat hic S. Paulus, & paraphrasi quadam explanat quod ipse Christus ab Evangelistis supra citatis dixisse refertur; nec aliud significat, quam quod Christus ait Discipulis suis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*. Ex his autem, quæ tantummodo duodecim Apostolis dicta sunt, qui soli sub specie vini, quo tempore Eucharistia instituta fuit, percipere potuerunt, ut supra ostendimus; nihil aliud colligi potest, quam quod ex conceptis Evangelii verbis naturaliter & necessario consequitur. Quamobrem cum ex Evangelio intelligamus, solis Sacrificis successoribus Apostolorum impositam fuisse necessitatem

Luc. XXII v. 19.

conficiendæ Euchariſtiæ, & ſumendæ ſub utraque ſpecie; hoc tantum ex narratione S. Pauli verſibus quatuor, XXIII. XXIV. XXV. & XXVI. comprehenſa colligere poſſumus: adeoque illud præceptum Laïcos & plebem Chriſtianam non ſpectare, quæ ex eodem S. Paulo in concluſione ex hac narratione aſſumpta, poteſt alternatim ſub ſpecie panis aut vini Communionem percipere. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne*, &c.

1. Cor. XI. v. 27.

Hanc explicationem tam perſpicue confirmat S. Gregorius Nazianzenus, ut Claudius neutiquam infirmare poſſit; quamvis ad ſui erroris patrocinium eum aggregare nitatur, pag. 43. Explicationis ſui Catechiſmi, qua citat Orationem XI. S. Gregorii de S. Gorgonia, quam dicit aliquid antityporum corporis & ſanguinis Domini recondidiſſe, & lacrymis admiſcuiſſe, juxta verſionem male fidam Rudolphi Hoſpiniani, lib. V. Hiſt. Sacrament. cap. VIII. pag. 408. adeoque concludit, Communionem domeſticam ſub utraque ſpecie conjunctim factitatam fuiſſe. Sed econtra S. Gregorius ait alternatim, antityporum quid illam recondidiſſe corporis vel ſanguinis: *Καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου*

σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, τοῦτο καταμιγνῦσαι τοῖς δάκρυσιν. Et si quid uspiam antityporum honorandi corporis VEL *sanguinis manus recondidit, id lacrymis admiscuisset.* Doctissimus Jacobus Billius, Abbas S. Michaëlis in Eremo, quo nemo Linguam Græcam melius calluit, particulam, *ἢ τοῦ αἵματος*, sciebat alternatim debere verti; adeoque traduxit, *Et si quid uspiam antityporum pretiosi corporis* AUT *sanguinis manus recondiderat*, &c. Ex his enim licet concludere, Communionem domesticam, non sub utraque, sed sub utravis specie fieri.

Non magis veritatis congruit institutis, quod profert Claudius, ut delatam ad absentes sub utraque specie Eucharistiam comprobet, ex Apologia II. S. Justini Martyris: *Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος· καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. Vocati apud nos Diaconi dant cuilibet præsentium accipere Eucharisticum panem, & vinum, & aquam: & ad absentes perferunt.* Non dicit, Ea conjunctim, vel alternatim *ad absentes perferunt, καὶ τὰ συνεζευγμένα τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι·* sed tantummodo, *Et ad absentes perferunt.* Fieri enim poterat, ut Diaconi

ſub utravis ſpecie, non ſub utraque deferrent. Quemadmodum ſi quis diceret hodie, Sacerdotes panem & vinum in ſacrificio Miſſæ ſumere, & poſtea præſenti plebi porrigere, & ad ægros abſentes deferre: ſupervacaneum & abſurdum eſſet concludere, ætate noſtra Euchariſtiam plebi ſub utraque ſpecie porrigi, & ad ægros deferri. Uno verbo, nihil aliud ſignificare vult S. Juſtinus, niſi communionem Euchariſtiæ præſentibus, & deinde abſentibus porrigi, ut ibidem ipſe S. Juſtinus ait: Καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. *Traditio & communicatio Euchariſticorum cuilibet fit, & abſentibus per Diaconos mittitur.* Igitur hæc S. Juſtini verba perperam a Claudio aſſumuntur ad concludendum vere & caſtigate, ætate ſancti Martyris Euchariſtiam plebi adminiſtratam fuiſſe ſub utraque ſpecie. Origenes ſæculo proxime ſequenti ætatem Juſtini, de ſola ſpecie panis mentionem facit in ſuis ad S. Matthæum Commentariis, pag. 254. quæ publici juris fecit, & primus Græce edidit Clariſſ. Huetius, & potiſſime libro VIII. contra Celſum, pag. 416. edit. Cantabrig. Ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς

σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, τοῦτο καταμιγνύσθαι τοῖς δάκρυσιν. *Et si quid uspiam antityporum honorandi corporis* VEL *sanguinis manus recondidit, id lacrymis admiscuisset.* Doctissimus Jacobus Billius, Abbas S. Michaëlis in Eremo, quo nemo Linguam Græcam melius calluit, particulam, ἢ τοῦ αἵματος, sciebat alternatim debere verti; adeoque traduxit, *Et si quid uspiam antityporum pretiosi corporis* AUT *sanguinis manus recondiderat*, &c. Ex his enim licet concludere, Communionem domesticam, non sub utraque, sed sub utravis specie fieri.

Non magis veritatis congruit institutis, quod profert Claudius, ut delatam ad absentes sub utraque specie Eucharistiam comprobet, ex Apologia II. S. Justini Martyris: Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος· καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. *Vocati apud nos Diaconi dant cuilibet præsentium accipere Eucharisticum panem, & vinum, & aquam: & ad absentes perferunt.* Non dicit, Ea conjunctim, vel alternatim *ad absentes perferunt*, καὶ τὰ συνεζευγμένα τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι· sed tantummodo, *Et ad absentes perferunt.* Fieri enim poterat, ut Diaconi

ſub utravis ſpecie, non ſub utraque deferrent. Quemadmodum ſi quis diceret hodie, Sacerdotes panem & vinum in ſacrificio Miſſæ ſumere, & poſtea præſenti plebi porrigere, & ad ægros abſentes deferre: ſupervacaneum & abſurdum eſſet concludere, ætate noſtra Euchariſtiam plebi ſub utraque ſpecie porrigi, & ad ægros deferri. Uno verbo, nihil aliud ſignificare vult S. Juſtinus, niſi communionem Euchariſtiæ præſentibus, & deinde abſentibus porrigi, ut ibidem ipſe S. Juſtinus ait: Καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. *Traditio & communicatio Euchariſticorum cuilibet fit, & abſentibus per Diaconos mittitur.* Igitur hæc S. Juſtini verba perperam a Claudio aſſumuntur ad concludendum vere & caſtigate, ætate ſancti Martyris Euchariſtiam plebi adminiſtratam fuiſſe ſub utraque ſpecie. Origenes ſæculo proxime ſequenti ætatem Juſtini, de ſola ſpecie panis mentionem facit in ſuis ad S. Matthæum Commentariis, pag. 254. quæ publici juris fecit, & primus Græce edidit Clariſſ. Huetius, & potiſſime libro VIII. contra Celſum, pag. 416. edit. Cantabrig. Ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς

τ̃ Θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. *Est & nobis symbolum eucharistiæ ad Deum, panis Eucharistia dictus.* Similiter attendere possumus, frustra nihilominus repugnante Isaaco Casaubono, ad S. Ignatium, Epist. ad Ephesios, dum ait: ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ θανεῖν. *Unum panem frangentes, quod est pharmacum immortalitatis, mortis antidotum.* & ad Philadelphios: Εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη. *Unus panis omnibus est comminutus.* & Epist. ad Smyrnæos: in quibus de solitario pane mentionem facit. Hic vero prætermittere nefas est, Ministrum quemdam Calvinianæ partis non indoctum, Autorem Responsionis vernaculo sermone scriptæ ad Officium sanctissimi Sacramenti, contendere hanc vocem ἕνα ἄρτον, per has voces, *unum solum panem*, debere reddi: ex quibus intelligeremus, panem solum per consecrationem integram Eucharistiam constituere; quippe cum panis solus foret immortalitatis pharmacum, & antidotum mortis. Lege pag. 12. qua crimini dat Autori versionis ejusdem Officii, quod hæc verba, ἕνα ἄρτον κλῶντες, traduxerit, *unicum panem frangentes*; non vero, *unum solum panem frangentes*.

Sed hæc ſatis eſſe videntur, ut Proteſtantes intelligant, loca Scripturæ non eadeo eſſe clara & manifeſta, ut de Communione ſub utraque ſpecie Laïcis porrigenda nullus dubitandi locus relinquatur; adeoque præceptum ac mandatum divinum de ejuſmodi Communione conceptis verbis perſpectum habeamus. Quæ cum ita ſint, & hæc quæſtio ac controverſia viſa ſit ſemper in religione Chriſtiana præcipua ac capitalis; incredibile eſt, Deum ad eam finiendam ac dirimendam nullum tribunal, nullumque judicem reliquiſſe. Loca Scripturæ, quæ liti cauſam præbent, ad eam dirimendam aſſumi non poſſunt; ſiquidem variis ſenſibus explicatu difficillimis ſunt obnoxia, de quibus non ſolum Catholici & Proteſtantes, ſed & ipſi Calviniani inter ſe diſſentiunt. Quamobrem hoc judicium ad Scripturam deferre, nihil aliud eſſe videtur, quam litem diu jacentem & examinatam novis vitilitigationibus exſuſcitare & recoquere. Ad ſocietatem Prædeſtinatorum cauſam agere non potis eſt, quos inter reprobos diſcernere ac recognoſcere in hominum poteſtate non poſitum eſt. Igitur ad Eccleſiam ſolam Paſtorum & miniſtrorum ſucceſſione conti-

INDEX AUTORUM,

Qui in duobus Libris de Adoratione Eucharistiæ, & Disquisitione Theologica de Præcepto divino Communionis sub utraque specie, citantur, probantur, vel refelluntur.

A

Pet. ABAILARDUS. *pag.* 177
Abbaudus, Abbas. 179
Adalgarius, Episc. Æduensis. 88
Ado. 134
Synodus Ægypti. 59
Agapetus, Papa. 92
Agur, Propheta. 199
Gabriel Albaspinæus. 143
Edmundus Albertinus. 19. 54
B. Alcuinus. 86
Alexandrinum Chronicon. 77
Alexādrinus Codex MS. Græcus. 204
Algerus. 89. 93
Leo Allatius. 46
S. Ambrosius. 31
Anastasius Antiochenus. 22
Anastasius Sinaïta. 22. 77. 81
Anastasius. 47
Anonymus Minister Calvinianus. 52. 65. 124. 216
S. Antoninus. 122
Ecclesia Apameensis. 54
Synodus Ariminensis. *ibid.*
Aristoteles. 210
Arnobius. 147
S. Athanasius, Episc. Alexandrinus. 15. 24. 54. 205
Averroes. 156
S. Augustinus. 8. 11. 31. 42. 49. 101. 152. 170. 192. 193
Augustus, Dux Brunsvi-

censium. 167
Autores libri de Perpetuitate Fidei. 65
Autor Versionis Officii SS. Sacram. 216.

B

Franc. BARBERINUS, Card. 46
Baronius, Cardinal. 14. 60. 115. 197
S. Basilius Magnus. 73. 109. 205
Beda. 134. 193
Bellarminus, Card. 115. *& in Præfat.*
Berengarius. 91. 175. 177
Theod. Beza. 196. 201. 204
Biblia Polyglotta Londinensia. 204
Jacob. Billius. 84. 114. 214
Binius. 57
Bullæus Gultius. 156
Joan. Buxtorfius. 200

C

Conc. CABILONENSE, an. DCCCXCIV. 88
Cæcilius. 160
S. Cæsarius. 63. 71
Joann. Calvinus. 186
Henric. Canisius. 77
Melchior Canus. 123. 134
Carolus Magnus. 87
Carolus Simplex. 88
Concil. Carthaginense III. 144. 153
Isaacus Casaubonus. 14. 60. 115. 196. 201. 216
Seb. Castellio. 204
Celsus. 12. 121. 160
Centuriatores Magdeburgenses. 34
Francisc. Chiffletius, Jesuita. 87
Pet. Cholinus. 211
S. Joannes Chrysostomus. 14. 26. 34. 144. 162. 205
Cicero. 156
Claudius, Minister. 189. 198. 205. *& seq. & in Præfat.*
Cledonius. 25
S. Clemens Alexandrinus. 7. 9. 24. 147
Cleophas, Discip. Christi. 192
Francisc. Combefis. 81. 89

Alexius Comnenus. 62
Concil. Conſtantienſe. 185
Conſtantinus Copronymus. 82
Conſtantinus, Imp. 85
Conſtantinus Magnus. 14.119
Conſtantius. 54
Joann. Baptiſt. Cotelerius. 92.128
Rob. Creyghton. 99
S. Cyprianus. 9. 121.124. 148. 205
S. Cyrillus Alexandrinus. 14. 26. 57. 114. 121
S. Cyrillus Hieroſol. 15-18

D

Joan. DALLÆUS, *paſſim in toto Opere, & in Præfat.*
Joann. Damaſcenus. 26. 82
Daniel Pharanita. 130
David, Propheta Regius. 199
Dionyſius Alexandrinus. 134
S. Dionyſius, Areopagita. 63. 65. 114
Conc. Dioſpolitanum, ann. CCCCXV. 42.

E

Liber ECCLESIASTES. 209
Concil. Epheſinum. 57
Epiphanius, Diaconus. 85
Epiphanius, Epiſcop. Salamin. 26. 120
Deſider. Eraſmus. 10. 73. 93. 111. 197. 201. & *ſeq.*
Claud. Eſpencæus. 71. & *in Præfat.*
S. Eulogius. 78
Euſebius Cæſarienſis. 13. 119
Euſebius Emiſſenus. 71
S. Euſtochium. 192
Eutyches. 78
Exodus. 200.

F

FABIUS, Neophytus. 133
Facundus Hermianenſis, 89. 218
Ferrerius. 73
Concil. Florentinum. 22

Formosus, Papa. 88
S. Franciscus Assis. 122

G

GAGNÆUS. 71
Rodolph. Galterius. 211
Angelinus Gazæus, Jesuita. 122
Genebrardus, Parisiens. Theol. *in Præf.*
Genesis. 199
Georgius Cyprius. 82
Gerfredus Monachus. 88
S. Germanus Constantinop. 82. 109. 116
S. Gorgonia. 28. 127. 213
Gratianus. 71
Gregorius, Episcopus. 85
S. Gregorius Magnus. 110
S. Gregorius Nazianzenus. 25. 27. 101. 114. 127. 182. 213
Gregorius VII. Papa. 175
Joannes Grodecius. 16
Joann. Gropperus, Archidiac. Colon. *in Præf.*
Hugo Grotius. 73. 197. 201. 206
Gualterus, Prior S. Victoris Paris. 177
Gultius Bullæus. 156

H

Gent. HERVETUS. 112
S. Hieronymus. 15. 192
S. Hippolytus Martyr. 113
Honoratus. 49
Stanislaus Hosius, Cardinalis. 16
Rudolph. Hospinianus. 13. 97. 99. 115. 213
Pet. Dan. Huetius 215
Joann. Hus. 185

S. JACOBUS. 75
Jeremias, Propheta. 196
S. Ignatius, Martyr. 5. 61. 188. 216
S. Joannes Climacus. 75
Joannes II. Constantinop. Archiepisc. 26. 72
S. Joannes Evangelista. 23. 30. 96. 116. 183
Joannes, Hierosolymit. Episc. 42
Josephus. Antiqu. Judaic. 54

S. Irenæus. 9. 162
Irene, Imperatrix. 85
Isaias, Propheta. 196
Isidorus Pelusiota. 20. 21. 54. 60
S. Juliana, Leodiensis. 150
Julianus Apostata. 166
Justinianus, Imp. 54
S. Justinus Martyr. 9. 104. 142. 152. 188. 214

L

Lactantius Firmian. 121. 148
Larroquius, Minister. 70. 167. 197
Eduard. Leich. 210
Leo Isaurus, Imp. 82
Leo II. Papa. 54
Leo Judæ. 200. 211.
Leontius Constantinopol. 77
Leontius Hierosolymit. 62
Cyrillus Leucaris. 204
Leunclavius. 77
Liturgia Anglicana. 154
Pet. Lombardus. 177
B. Lucas, Asceta. 89
S. Lucas, Evangelista. 23. 115. 187. 195. 201
Lutherus. 186

M

Joann. Mabillonius. 87. 177
Joannes *Mansur*. 82
Codices MSS. Biblioth. S. Germani Paris. Colbert. & Reg. 204
S. Marcus. 23. 186. 196
S. Matthæus. 22. 96. 186
Maximinus. 101
S. Maximus, Episc. Hierosolymit. 15
S. Maximus, Monach. 114
Hugo Menardus. 110
Concil. sub Menna. 54
Milleterius. 73
Minutius Felix. 9. 121. 159

N

Nestorius. 78
Concil. Nicænum II. 85
Nicetas. 70
Nicolaus II. Papa. 175
Nilamon, Diaconus. 60
S. Nilus. 45

S. Nonna, mater S. Gregor. Nazianz. 31

O

ORGANTINUS, Jesuita. 138
Orlandinus, Jesuita. 122
Origenes Adamant. 9. 10. 11. 148. 215
Origenes alter. 48

P

Georg. PACHYMERES. 69
Michael Palæologus. *ib.*
S. Paschasius Ratbertus. 92
Georg. Pasor. 210
S. Paula. 192
S. Paulus Apost. 23. 31. 117. 192. 202. 206. *& seq. ac in Praef.*
Joannes *Pearson.* 6
Pelagius, Papa. 92. 127
Card. Perronius. 73. 139. 174. *& in Praef.*
S. Petrus. 24
Petrus Pictaviensis. 177
Petrus Venerabilis. 89. 93
Photius Constantinop. 92. 127

Gilb. Porretanus. 177
Possevinus. 10
Possinus, Jesuita. 46
Hier. de Praga. 186

R

Nicol. RIGALTIUS. 108. 124
Matthæus Raderus, Jesuita. 75
Andreas Rivetus. 10. 205.

S

Claud. *de* SAINTES. 59. *& in Praef.*
Andreas *Sall*, Theol. apud Anglos Prof. *in Praef.*
Salomonis Proverbia. 201
Petr. Scarga, Jesuita. 174
Corn. Schrevelius. 210
Matth. Scrivenerus. *in Praef.*
Abraham. Sculretus. 10. 205
Synodus Seleuciensis. 54
Serapio. 134
Sergius, Patriarc. CP. 80

Severiani

Severiani. 68
Silverius, Papa. 92
Jacob. Sirmondus, Jesuita. 64. 89
Sixtus Senensis. 10
Socrates, Histor. 153
Sozomenus. *ibid.*
S. Stephanus Junior. 84
Josephus Maria Suaresius. 46
Caspar. Suicerus. 20. 60. 65
Laurent. Surius, Cartusianus. *in Praef.*
Versio Syriaca Bibliorum. 196

T

Tatianus. 9. 162
Tertullianus. 9. 143. 147. 152. 196
Novi Testamenti editio Graeca, e Theatro Sheldoniano. 204
Ejusdem edit. Lat. Tigurina, an. MDXLIV. 211
Tharsitius. 134
Theodoretus. 6. 63. 166. 172
Theodorus Mopsuestenus. 79
Theodulus. 46
Theophilus Antiochenus. 159
Theophylactus. 194
Joannes *Thiers*. 139
Concil. Trident. 146. 186
Trigaltius. 133
Francisc. Turrianus, Jesuita. 6. 77

V

Vigilius, Papa. 92
Gerard. Joann. Vossius. 80
Isaac. Vossius. 5. 6
Wastelius, Carmelita. 42
Wicleffus. 185

Z

Zelacristus. 118
Euthymius Zigabenus. 62
Zuinglius 18

APPROBATIO
THEOLOGORUM PARISIENSIUM.

HÆc *Dissertatio M.* JACOBI BOILEAU, *Doctoris sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, Societatis Sorbonicæ*, de Adoratione Eucharistiæ, *germanum Ecclesiæ Catholicæ sensum solide exponit, e sanctorum Patrum monumentis depromptum; aliisque probatis Autoribus: atque ideo dignam censemus, quæ publicam lucem aspiciat. Datum Lutetiæ pridie Kalend. Ianuarii, anno Domini* MDCLXXXV.

J. B. CHASSEBRAS.

A. FAURE.

SUMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAUTUM est autoritate Regis, ne quis in ipsius regno, aliisve locis ejus ditioni subjectis, intra duodecim annos a die publicationis exemplarium numerandos, librum

qui sic inscribitur : *De Adoratione Eucharistiæ libri duo. Quibus accedit Disquisitio Theologica de Præcepto divino Communionis sub utraque specie. Autore* JACOBO BOILEAU, *Theologo Parisiensi, Socio Sorbonico, Ecclesiæ Metropolitanæ Senonensis Decano* : præter voluntatem Autoris excudat, aut vendat. Qui secus fecerit, mulcta ei indicta, prout amplius in ipso Diplomate regio continetur, dato Cavillæ, die XIII. mensis Septembris anni MDCLXXXIV. & signato, De mandato Regis, LE PETIT, atque in Acta Bibliopolarum Parisiensium relato die XV. mensis Januarii anni MDCLXXXV. a CAROLO ANGOT, Syndico.

PARISIIS,

E Typographia GABRIELIS MARTINI, via Jacobea, sub Sole aureo.

M. DC. LXXXV.